VARIA SCRIPTA
CIRCA
USURAM,
IN QUIBUS
POTISSIMUM EXPENDITUR
QUID DE
REDITIBUS
Quos utrimque redimibiles vocant,
ſit ſentiendum.

MDCCXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANNI ſunt jam ſupra centum & triginta quod in his fœderati Belgii Provinciis fiunt ſatis communiter contractus de pecunia mutuatario tradenda, ejusque in manibus ad certum tempus cum lucri pactione relinquenda; atque in hoc Acatholicos, quibus id licitum eſſe, modò ſine oppreſſione fieret perſuaſum eſt, non rarò imitati ſunt ipſi Catholici. Verum, ut erat nova praxis, nec ab initio defuerunt qui contradicerent.

In primis per Illuſtriſſimum Sasboldum Voſmerum harum Provinciarum Fideles hoc inter cætera Nuncio Apoſtolico Bruxellis reſidenti anno 1598. 22. Septembris, ac poſtea Janſonio S. Theologiæ Doctori Lovanienſi celeberrimo proponendum cenſuerunt.
„ Invaluit, inquit ſuo eorumque nomine Sasboldus, recen-
„ ti memoria corruptela, qua quidam, ne neceſſitatem
„ ſuam prodant, alii, ne dum facultates ſuas faciunt manifeſtas
„ ad majores contributiones compellantur, præterea, ut ad ne-
„ ceſſitatem redacti depoſitas pecunias repetere poſſint, ſub no-
„ mine mutui & obligationis fœnerantur. Eſt perſuaſum plebeiis
„ poſſe ſe tale lucrum a sponte offerentibus recipere, id-
„ que cum pacto propter ſecuritatem, ſi forte debitor in-
„ terea moriatur aut incommodum incurrat. Addit plerumque
„ fieri, ut is qui pecuniam accipit eâ negotietur, & triplum
„ decuplumve lucretur." Reſpondit Janſonius corrigendum eſ-
ſe hunc abuſum.

Haud aliter judicatum eſt in Conventu Illuſtriſſimi Rovenii & Sacerdotum Diœceſis Ultrajectinæ, ubi propoſitæ Quæſtiones nonnullæ *ut conformitas in praxi & reſolutionibus ſimilium difficultatum ſervari poſſit.*

Sexta Quæſtio eſt, "an Contractus quos vocant annales obli-
„ gationes quibus ſtipulatur certum lucrum cum obligatione
„ reſtituendi ſortem certo tempore ſint liciti."

„ Reſpondetur eſſe illicitos utpote includentes vitium Usuræ,
„ prout nunc communiter fiunt . . . . monendos fideles, ut
„ mutatâ intentione a ſimilibus contractibus deinceps abſtineant,

„ & jam factos revocent ad licitam formam cenſûs, vel alterius
„ juſti Contractûs."

Revera validiora fuêre mala remediis, & ipſâ paulatim conſuetudine factum eſt, quod ſolet, ut ab his pactionibus minus abhorrerent animi ſeu Paſtorum non paucorum, ſeu fidelium etiam alioquin honeſtè viventium: ſemper tamen timoratorum conſcientias torſit ea praxis. Neque aliter fieri poterat, cum omnes fere Paſtores & Theologi in Scholis Romanis, Colonienſibus, ac maximè Lovanienſibus eruditi, illic illicitum eſſe audiviſſent ex mutuo lucrum captare.

Propterea factum videtur, ut, cum populi pergerent mutui nomine pecuniam tradere vel recipere cum auctario propter illius uſum ſolvendo, ad declinandam tamen nominis uſuræ invidiam, delendamque, ſi fieri hac arte poſſet, maculam, introduceretur a ſubtilibus Diſputatoribus nomen cenſuum, ſeu redituum ex utrâque parte redimibilium.

At non propterea evaſere cenſuram illi Contractus. Plurimi Paſtores ante annos quadraginta eos cum zelo reprobarunt, & Caſum deſuper Doctoribus Lovanienſibus propoſuerunt reſolvendum, in quo Paſtores cum ſuo Archipresbytero ita loquuntur. "Contractus illi in Conventu noſtro non ſemel ſunt pro-
„ poſiti & examinati, & licet multis omninò illiciti ac uſurarii,
„ omnibus multo pleni periculo apparerent, viſum eſt tamen ali-
„ quibus rationes aliquas proponere quibus aut liciti, aut ſaltem
„ in hâc patria tolerari poſſe viderentur."

Communis Scholæ Lovanienſis doctrina, uti ſemper fuit, ita & tunc erat cenſus utrimque redimibiles uſurarios eſſe. Parabant itaque reſponſionem Eximii S. Theologiæ Doctores, qua non ſolum eos Contractus propter periculum vitandos pronuntiarent, ſed etiam ut illicitos in ſe, & uſurarios condemnarent. Verum ad unius inſtantiam, ut ipſe poſtea non ſemel gloriatus eſt, neſcio quo turbarum aut difficultatum metu, de iis non ſecundum rigorem Theologicum, uti eorum ſententia erat, pronunciarunt: equidem *ob periculum ſaltem dictos Contractus vitandos eſſe* edixerunt, *ideoque DEBERE animarum directores quantum poſ-*

poſſunt eos eliminare. Ita judicabant 13. Martii 1688. Eximii D.D. Huygens, Steyaert, Paſman, Hennebel, & de Zwaen.

Utinam ſaltem moderatiſſimo huic conſilio omnes acquievisſent, illudque in praxi obſervaſſent!

Eodem Anno Domino Theodoro de Cock Romam a Clero Ultrajectenſi delegato datum in mandatis fuiſſe ejus ex Itinerario apparet, ut ſacram Congregationem de cenſibus ex utraque parte redimibilibus conſuleret. In ipſa caſûs expoſitione, poſtquam explicavit quid fieri ſoleat, ſubdit: "multos interim Sacer„ dotes quibus animarum cura commiſſa eſt, uſus ille, ſeu potius „ ABUSUS, vehementer affligit. Ignorant illi quomodo dicti „ Contractus ab uſuræ labe poſſint eximi, ac citra ſalutis diſpen„ dium exerceri. Nonnulli tamen arbitrantur illos vel non eſſe „ omnino illicitos, vel ſaltem in hac patria tolerari poſſe."

Caſum non propoſuit ipſi Congregationi, quòd reſponſum datum iri non ſperaret. "Nihilominus, inquit, aliorum virorum „ prudentiâ legum humanarum divinarumque peritiâ clarorum „ judicium aliquando ſum expiſcatus. CONSENTIUNT con„ tractum per ſe conſideratum, hoc eſt a ſuis circumſtantiis ab„ ſtractum eſſe uſurarium; poſſe tamen eximi à labe uſuræ, ſi „ *dicto* contractui, non fictè ſed verè circumſtet lucrum ceſſans „ aut damnum emergens in dante. Nonnemo etiam eundem „ contractum in ſe conſideratum ab uſura excuſabat, vel quod „ naturam emtionis ac venditionis haberet, vel quod ſpeciem „ Societatis aſſumeret."

Nempe nonnemo hac in re ſequebatur Apologiam Caſuiſtarum propterea condemnatam: ubi duobus illis titulis lucrum mutuo ſemper adjungi poſſe traditur. Reliqui in Urbe conſentiebant contractus illos in ſe eſſe illicitos; neque id vel Romanæ Eccleſiæ proprium, vel ex recentiori abuſu contra antiquam Traditionem, ſed potius ex antiquâ, & communi omnium Eccleſiarum traditione ſumtum; nullam enim extra has Provincias citare quiſquam poteſt, in qua aliter paſſim doceant Paſtores & Theologi.

Non eſt igitur mirum ſi quæſtionem illam ſedulò expenden-

dam unanimi deliberatione anno ſuperiore in Capituli congregatione ſtatutum eſt.

Ut igitur hæc Quæſtio facilius examinetur edita ſunt ſcripta Latina, quæ ſimul conjuncta offerimus, unà cum Diſſertatione Gallicâ ſcriptoris eruditiſſimi ac pietate non minus quam ſcientiâ ſpectatiſſimi, quæ ante multos annos exarata, non ita pridem typis edita fuit.

In *Caſus Poſitione* Quæſtiones proponuntur duæ. 1. An liciti ſint ejuſmodi Contractus. 2. An ſaltem tolerandi, ita ut qui ita contrahunt in bona fide ſint relinquendi.

Dilatâ aliquantisper ad poſteriorem Quæſtionem reſponſione, prior tantummodò ſoluta eſt, idque quàm breviſſimè fieri potuit, ne nimis multa ſimul proponerentur viris quos aſſiduo labore detineri non ignoramus. Data ſimul opera, ut ſcriptum quanquam breve, multis ſufficere poſſet, quia paucis verbis præcipua Capita explicari, & pleræque difficultates præverti videbantur.

In *Diſcuſſione iterata* atque *Appendice* nihil omiſſum, ut plenè ſatisfieret propoſitis objectionibus. Si quis alias habet, quibus vel ipſe moveatur, vel alios moveri noverit, beneficii loco ducemus, ſi eas proponere dignabitur, & reſponſionem æqui bonique conſulere. Simul obſecramus Ampliſſimos Reverendosque Dominos ne ſcripta nimium multiplicari conquerantur, neve neceſſarium illorum examini tempus ac laborem impendere recuſent. Quid enim! ſi nemo Judex cujusque privati cauſam capitalem, aut etiam pecuniariam finire velit, niſi expenſis omnibus litis inſtrumentis, quis eligat in ſuſpecta ſaltem conſuetudine ſine examine perſeverare, aut illi examini aliquot horas denegare, unde propria aliorumque ſecuritas pendeat?

Utinam eo quisque animo atque exitu hoc examen aggrediatur quo S. Thomas ſuum de *Uſura* opuſculum, cujus in procemio S. Doctor de divina ſapientia, "invoco ipſam, inquit, ne „ me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum „ aliorum, ſed illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo „ lumine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis uſquequaque „ pertingere."

IN-

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM.

I.

CASUS POSITIO circa reditus utrimque redimibiles. Pag. 1
QUÆRITUR, 1. An ejuſmodi contractus ſeu reditus ſint legitimi ac liciti? ibid.
2. An ſaltem tolerandi, ita ut qui ita contrahunt in bona fide ſint relinquendi, atque interea ad Sacramenta admittendi? ibid.
RESPONSIO AD PRIMAM QUÆSTIONEM. 2
PRIMA PROPOSITIO. Uſuram omnem prohibet lex divina. ibid.
SECUNDA PROPOSITIO. Omne lucrum ex mutuo exactum vel principaliter intentum uſura eſt, adeoque illicitum. 4
TERTIA PROPOSITIO. Leges civiles licitum facere non poſſunt contractum uſurarium ſeu quo exigitur lucrum ex mutuo. 5
QUARTA PROPOSITIO. In Contractibus de quibus in Caſûs poſitione agitur lucrum eſt ex mutuo adeoque uſurarium. 7
Lucrum in his contractibus non percipitur ex titulo legitimæ ſocietatis. 8
Neque ex titulo emtionis aut venditionis, 10
Neque ſemper ex titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis. 12
RESOLUTIO. 13

II.

ITERATA DISCUSSIO Quæſtionis circa reditus utrimque redimibiles duobus ſcriptis comprehenſa, *ubi maxime expenditur, an omne lucrum ex mutuo exactum vel principaliter ſperatum, ſit uſurarium.*
I. CONSILIUM Doctiſſimi Cauſſidici circa Caſûs Poſitionem. Pag. 1
II. RESPONSIO ad præcedens conſilium. 5
OBJECTIONES contra argumentum ductum ex SS. Patribus, & reſponſiones. 7
OBJECTIO ex ſcriptura. 12
OBJECTIO ex ratione. 14

III.

APPENDIX ad Caſus poſitionem circa reditus utrimque redimibiles, *in qua prioris quæſtionis reſolutio elucidatis difficultatibus confirmatur.* 1
ARTICULUS I. Solvuntur difficultates circa lucrum ex mutuo. 2
OBJECTIONES & RESPONSIONES. ibid. & ſeqq.
ARTICULUS II. Expenditur an contractus uſitati lucrum ex mutuo, adeòque uſuram includant. 27
FORMULA CHIROGRAPHI ſeu *obligationis.* ibid.

DIF-

DIFFICULTATES & RESPONSIONES. 28. & ſeqq.
EPISTOLA Eruditiſſimi D. Joannis Opſtraet circa hos contractus. 29
Concluſio. 40

IV.

REFUTATION d'un écrit ou l'on tachoit de juſtifier l'uſure, par l'auteur du *Traitté de la priere publique.*

ERRATA

IN ITERATA DISCUSSIONE.

Pag. 4. l. 3. pape *lege* papæ. p. 7. l. 11. ne rerum novitas &c. *ſic lege*, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. L. 10. de civit. Dei cap. 23. p. 8. l. 1. eſt nobis *lege* eſt: nobis p. 9. l. 17. circumſpectio *lege* circumſcriptio. p. 9. l. 32. ab initio traditum *lege* ab initio agnitum. p. 12. l. 28. ſortes *lege* ſortis. p. 12. l. 34. τοκον πλεοναςμου *lege* τόκῳ πλεοναςμῷ. p. 14. l. 4. offerat, tanquam debitum *lege* offerat tanquam debitam.

IN APPENDICE.

Pag. 4. l. 39. cap. 6. *lege* cap. 8. p. 7. l. 22. alludit *lege* abludit. p. 9. l. 12. extra *lege* contra. p. 9. l. 20. ſine ſpe *adde* lucri. p. 10. l. 4. videmus *lege* videamus. p. 10. l. 19. reperitur non *lege* reperitur, non. p. 11. l. 1. ſperatis? *lege* ſperatis. p. 11. l. penult. potentem *lege* petentem. p. 12. l. 9. petiitne ideo a te petiit *lege* petiit, ideo a te petiit ne. p. 12. l. 20. At *lege* Ac. p. 13. l. 1. nos *lege* non. p. 13. l. 14. uſurarium *lege* uſurariorum. p. 14. l. 20. ut *lege* ibi. p. 14. l. 8. *a fine* annotatus *lege* annotatur. p. 16. l. 27. ſunt, ea *lege* ſunt ea. p. 16. l. 37. accidentis *lege* occidentis. p. 20. l. 6. clericus *lege* Clerus. p. 21. l. 2. ſive *lege* ſuæ. p. 23. l. 5. *a fine* Chriſtianis *lege* Chriſtianos. p. 23. l. penult. & *lege* ex. p. 25. l. 11. quàm *lege* quantum. p. 28. l. 17. ſic enim &c. *lege* ſi enim merum mutuum eſſe deſineret, maxime quia. p. 32. l. 9. ſunt mutui *lege* ſunt, mutui.

ADDENDA,

Appendicis pag. 24. in Reſp. ad obj. XIII.

IV. Quantumcunque pecunia merx eſſe ſupponatur, certè non magis merx eſt quam vinum, frumentum, oleum cæteraque hujuſmodi: porro ex his lucrari nefas eſt ubi mutuò dantur, & ſuperabundantiam in talibus reprobant ſcriptura & Traditio: tunc tantum lucrum ex his fieri vel intendi poteſt, ubi fit venditio aut quid ſimile. Ergo idem eſt de pecunia dicendum, etſi merx quodammodo haberi poſſit. Poteſt qui eâ traditâ cenſum annuum emit ſuam utilitatem intendere & captare, non poteſt exigere lucrum ubi eam mutuò tradit.

CASUS

CASUS POSITIO
CIRCA
REDITUS UTRIMQUE REDIMIBILES.

FRequentes ſunt in his Fœderati Belgii Provinciis *Reditus* quos vocant *utrimque redimibiles*, vulgò *loſſe renten*: nempe traditur pecunia, ſeu mercatoribus ſeu quibuſlibet aliis hominibus qui ſolvendo ſunt, ad cenſum annuum, trium V. G. aut quatuor pro centum, eâ conditione, ut accipienti ſemper liceat redditâ pecuniâ ſe à cenſu liberare, & tradenti pariter repetere, modò tamen ante certum quod definitur ſpatium, trium V. G. menſium unus alterum præmonuerit.

Plerique hos contractus licitos eſſe exiſtimant diverſis motivis. Alii credunt non omnem uſuram eſſe Chriſtianis vetitam, ſed eam tantùm quæ immodica ſit, vel quæ à pauperibus exigatur. Alii omnem quidem uſuram reprobant, ſed negant omne lucrum ex mutuo etiam exactum aut principaliter ſperatum eſſe uſuram, ſed illud tantùm quòd legibus adverſatur civilibus, quippe hanc illarum vim eſſe putant, ut ejuſmodi contractus ſi approbent licitos faciant. Alii in his contractibus lucrum aiunt non eſſe ex mutuo propriè dicto, ſed ex legitima quadam ſocietate, vel ex contractu emptionis & venditionis, aut denique ex juſta lucri *ceſſantis compenſatione*. Quidam etiam hæc omnia motiva conjungunt, quò certius ſtabiliant, faciliuſque perſuadeant, iſtiuſmodi contractus eſſe licitos.

Sunt qui ejuſmodi contractus ac cenſus non diffiteantur eſſe ſuſpectos, ſed cùm plerumque fiant à viris alioqui timoratis, nec poſſint ſine magna perturbatione, his præſertim locis ac temporibus prohiberi, cenſent eſſe tolerandos & contrahentes in ſua bona fide relinquendos.

QUÆRITUR

1. An ejuſmodi contractus ſeu reditus ſint legitimi ac liciti aliquo ex ſuprà dictis titulis.

2. An ſaltem tolerandi, ita ut qui ita contrahunt in bona fide ſint relinquendi, atque intereà ad Sacramenta admittendi.

Digitized by Google

RESPONSIO
AD PRIMAM QUÆSTIONEM.

AD primam Quæſtionem ut reſpondeatur, neceſſe eſt ſtatui quaſdam propoſitiones quibus excutiantur allegati tituli propter quos tales contractus à quibuſdam liciti judicantur.

PRIMA PROPOSITIO.

Uſuram omnem prohibet lex divina.

Hæc propoſitio tam clarè continetur ſcripturâ ſacrâ, tam perſpicuâ ac perpetuâ Traditione nititur, tam apertâ Eccleſiæ definitione ſancita eſt, ut non appareat quomodo ſalvâ fide aut negari, aut in dubium revocari poſſit.

Revera ſcriptura ſancta uſuram prohibet, primò eam quæ à pauperibus exigitur Exodi 22. 25. & Levitici 25 35. 36. 37. Deinde Deuteron. 23. 19. eam omnem quæ à contribulibus. Propter hanc legem violatam Judæos Nehemias arguit: 2 Eſdræ 5. 7.

Verùm Pſalmo 14. 5. & 54. 11. 12. 19 & 71. 14. Ezechielis 18. 4. à verſu 8. ad 17. & cap. 22. verſibus 12. 13. 15. omnem generatim uſuram prohibet Deus, tanquam injuſtam & quæ cœlo quemlibet feneratorem excludat.

Lucæ 6. 35. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* „ Vide profectum, „ inquit S. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis. In principio legis à fratribus tantùm fenus tollitur: In Prophetâ ab omnibus uſura prohibetur.... „ porro in Evangelio virtutis augmentum eſt, præcipiente Domino: *Feneramini his à quibus non ſperatis recipere.*"

Si quis ambigat de ſenſu ſcripturæ ſacræ, aut exiſtimet per eam non prohiberi niſi uſuram immodicam aut à pauperibus exigendam, meminiſſe debet regulæ traditæ à Concilio Tridentino ſeſſ. 4. ubi ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, " ut nemo prudentiæ ſuæ innixus, in rebus fidei „ ET MORUM ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſa„ cram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem te„ nuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & „ interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem con„ ſenſum Patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi hu„ juſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent."

Porro ſecundùm unanimem ſanctorum patrum conſenſum his ſcripturæ locis, præſertim Pſalmo 14. Ezechielis 18. Lucæ 6. omnis omnino uſu-

ra

ra prohibetur. Infinitus ſim ſi proferam omnia hanc in rem teſtimonia Conciliorum, Pontificum, Patrum Eccleſiæ. Certè ex his locis uſuram omnem reprobant S. Baſilius in Pſalm. 14 S. Hieronymus in caput 18. Ezechielis. S. Amb. Lib. de Tobia cap. 15. S. Leo Serm. 6 de jejunio decimi menſis, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 14. S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 48. Gregorius Nyſſenus epiſtola ad Letoïum cap. 6. Concilium Carthag. 1. can 13. Turonicum anni 461. Chalcutenſe anni 787. Pariſienſe VI. anni 829. can 33. Ticinenſe anni 850. Innocentius III. Capit. *quàm pernicioſum.*

Denique judicium ſuum hac de re protulit Eccleſia cui Catholicos omnes credere & obtemperare oportet in duobus Conciliis generalibus.

Concilium Nicænum primum anno 325. Canone 17. „ Quoniam multi ſub regula conſtituti avaritiam & turpia lucra ſectantur, oblitique „ divinæ ſcripturæ dicentis: Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, „ mutuum dantes centeſimas exigunt, juſtè cenſuit ſancta & magna Synodus, ut ſi quis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras accipiens, aut ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium tranſigens, hemiolia, id eſt, ſeſcupla exigens, vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratiâ, dejiciatur à clero, & alienus exiſtat à regula;" id eſt, deleatur è Clericorum catalogo.

Concilium Viennenſe anni 1311. „ Sanè ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum."

Ecce hæreticos judicat Eccleſia eos qui negaverint uſuram eſſe peccatum: quod certè de qualibet uſura intelligendum eſt: nam ſi quædam *uſura ſit licita*, uſura generatim peccatum non eſt: ſicut lucrum ex mercatura peccatum non eſt generatim loquendo. Eſt ergo uſura peccatum, ſicut perjurium, fornicatio, mendacium, & cætera ejuſmodi quæ ideò ſine exceptione aut reſtrictione peccata dicuntur, quia ſemper peccata ſunt.

Hinc Alexander III. ad Panormitanorum Epiſcopum... " ſuper eo, „ inquit, quod à nobis diſcretio tua poſtulavit, utrùm poſſit in recipienda pecunia ad uſuram diſpenſatio fieri, ut qui in Saracenorum captivitate tenentur, per eandem poſſint pecuniam liberari? Præſentibus litteris tibi reſpondemus, quod cùm uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus, quia cùm ſcriptura ſacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captivi uſurarum crimine involvatur."

Mirum igitur non eſt, Calvinum primum omnium poſt talia decreta auſum fuiſſe, uſuram modicam quæ à divitibus exigeretur licitam

putare in cap. 18. Ezech. & in explicatione octavi præcepti, quem ſecuti ſunt Carolus Molinæus, Salmaſius, & alii ipſius ſectatores. Sed hoc valdè mirum ac dolendum eſſet, ſi extarent Catholici qui crederent ſcripturam à Calvino Traditionis contemtore meliùs explicatam fuiſſe quàm à Conciliis, à Pontificibus, à Patribus, à Theologis omnibus orthodoxis, quorum ne unus quidem fuit qui non credidiſſet uſuram omnem lege divinâ eſſe prohibitam.

SECUNDA PROPOSITIO.

Omne lucrum ex mutuo exactum vel principaliter intentum uſura eſt, adeóque illicitum.

Perſpicua eſt hæc propoſitio ex Scripturis & Traditione: nam Scriptura uſuram quam prohibet appellat *ſuperabundantiam*, Hebraïcè *Tarbith*, id eſt, *multiplicationem*, Græcè *partum & ſuperabundantiam*, τόκον καὶ πλεονασμὸν Levit. 25. 36. Ezech. 18. & 22. &c. Traditio autem expreſſior eſſe non poteſt.

Uſura eſt ~~*mutui*~~ fœnoris *redundantia*. Tertull. L. 4. contra Marc.

Uſura eſt, *ſi plus quàm dediſti exſpectes accipere*. Auguſtinus in Pſalm. 36.

Uſura eſt, *ſi plus acceperis quàm dediſti*. Hieronymus in cap. 18. Ezechielis.

Uſura eſt, *ſi plus quàm ſortem acceperis*. Baſilius in Pſalm. 14.

„ Uſura eſt, quodcunque ſorti accedit. Quod velis ei nomen imponas, „ uſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis? Et cur velamen ob-„ tendis? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris?" S. Ambroſius de Tobia cap. 14.

Uſura eſt, *ubi ampliùs requiritur quàm datur*. Concilium Agathenſe anni 506.

Uſura eſt, *emolumentum præter ſummam mutùo datam*. Gratianus 14. q. 3.

Uſura eſt, *cùm quis plus exigit in pecunia aut in aliqua alia re quàm dedit*: Magiſter ſententiarum lib. 3. diſt. 37.

Uſura eſt, *lucrum ex mutuo pacto debitum vel expreſſum*. Innoc. IV. in ſuo Apparatu, lib. 5. tit. de uſuris cap. 1.

Uſuram intelligimus quidquid eſt ultra ſortem. S. Ludovicus.

Uſura eſt, *quidquid præter ſortem & caput illud, quod datum eſt accipitur*. Catechiſmus Concilii ad 7. præceptum.

Ita Concilium Auſcitanum anno 1308. can 3. „ Juxta Canonicas Sanctiones ille uſurarius eſt cenſendus, qui ex pacto pro mutuo recipit aliquid ultra ſortem."

Lateranenſe V. anni 1512. ſeſſ. 1. „ Dominus noſter Luca Evangeli-

„ ſta

„ ſta atteſtante, apertò nos præcepto obſtrinxit ne ex dato quidquam ultra
„ ſortem ſperare debeamus: ea enim eſt propria uſurarum interpretatio."

Mechlinienſe anni 1570. cap. de uſuris. „ Quoniam uſura jure Divino
„ & Canonico omnibus Chriſtianis ſub pœna peccati mortalis interdici-
„ tur, neque facienda ſunt mala ut eveniant bona, Synodus ſtatuit &
„ ordinat ne quis tutor aut curator ſub prætextu augmentandi patrimo-
„ nii pupillorum pecunias illorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſor-
„ tem recipiendo mutuò dent, retenta facultate repetendæ ſortis, quan-
„ do ad majorem ætatem pervenerint."

Rhemenſe anni 1583. cap. de fenore. „ Cùm ſacræ litteræ excludant
„ eum à divino tabernaculo qui pecuniam dederit ad uſuram, apertèque
„ nuncient ut mutuum demus nihil inde ſperantes, quiſquis præter ſortem
„ præcipuam ex mutuo aliquid ampliùs exegerit vel acceperit, cujuſcun-
„ que generis illud ſit, modò pecuniâ æſtimari poſſit, uſurarius eſſe cenſeatur."

Conventus Melodunenſis anni 1579. „ Curandum eſt ne ex mutuo ali-
„ quid præter ſortem à quovis homine percipi ex convento, vel principa-
„ liter ſperari poſſit, tametſi ſint pecuniæ pupillorum aut viduarum: omnes
„ enim audire tenentur illud Chriſti. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.*"

Ex his apertum eſt quid definierit Eccleſia, cùm pronunciavit exercere uſuras eſſe peccatum: neque enim de voce ſolùm, ſed de reipſa judicavit, idque condemnavit quod uſuræ nomine omnes intelligebant, non id quod quidam hodie intelligi volunt, adeóque definivit omne lucrum ex mutuo exactum vel principaliter intentum eſſe lege divinâ prohibitum.

Principaliter autem intentum illud dicitur ſine quo mutuò non daretur pecunia.

PROPOSITIO TERTIA.

Leges civiles licitum facere non poſſunt contractum uſurarium, ſeu quo exigitur lucrum ex mutuo.

Hæc propoſitio manifeſtè adſtruitur ex Scripturâ, ex Traditione, ex definitione Eccleſiæ, atque ex ipſa ratione.

Ex Scripturâ quidem: nam David & Ezechiel reprobant generatim omnem uſuram, etiam eo tempore quo lex divina poſitiva per Moyſem lata tolerabat uſuras ab alienigenis exactas: ſupponunt igitur tolerantiam legis poſitivæ, quâ externa judicia reguntur, tales contractus licitos facere non poſſe, quòd ſint nimirùm contra inviolabilem juſtitiæ & charitatis legem.

Ex Traditione pariter id manifeſtum eſt, namque eas uſuras Patres

Eccleſiæ reprobant quæ exigebantur ſecundùm modum legibus Romanis definitum; v. g. Concilium Nicænum Can. 17. eas ipſas reprobat quæ centeſimæ & hemiolia appellabantur, quòd redditus pecuniæ eſſet unius pro centum ſingulis menſibus, & ſeſqui-modii pro modio ex vino, oleo, frumento aliiſque ejus generis, qui uſurarum modus Conſtantini lege, veterum uſurarum enormitatem corrigente, definitus erat: ac propterea à Concilio memoratur, ne licitum dari exiſtimaretur quod ex lege exigi poterat.

Hæc ſanctiſſimi Concilii declaratio tanquam Eccleſiæ definitio ſuſcipienda eſt. Similem habemus ex Viennenſi Concilio ubi edita eſt Clementina, *in gravi, de uſuris*, in quâ ſtatuitur „ quòd communitates aut „ quicunque officiales qui ſtatuta ſcribere vel dictare, aut quòd ſolvantur „ uſuræ, vel quòd ſolutæ non reſtituantur plenè ac liberè ſcienter judicare „ præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. " Supponit ergo Concilium id licitum non fieri per leges communitatum, ſed leges ipſas eſſe injuſtas, ſi id tanquam honeſtum permiſerint aut præceperint: quanquàm poſſint eſſe juſtæ, ſi vel modum tantùm injuſtitiæ hominum ponere intendant, vel certè juſtæ compenſationis communem quandam menſuram figere, relinquendo ſeu privatis, ſeu judicibus diſcernendos caſus ubi compenſationi locus eſt, vel non eſt.

Adde quod S. Auguſtinus habet Epiſt. ad Maced. 153. n. 25. " Quid „ dicam de uſuris quas etiam ipſæ leges ac judices reddi jubent? ... „ hæc atque ejuſmodi malè utique poſſidentur, & vellem ut reſtituerentur: ſed non eſt quo judice repetantur. " apud Gratian. 14. Q. 4.

Sic leges interpretandas eſſe declarant ipſi legum autores. „ Uſuræ, inquit Juriſconſultus L. 17. ff. de uſuris, non propter lucrum petentium, „ ſed propter moram ſolventium infliguntur." Baſilius Macedo uſuras omnes ut legi divinæ contrarias prohibuit. Leo ejus filius coactum ſe ait legem quam laudat revocare, & moderatas uſuras tolerare. In Capitularibus Caroli Magni, in legibus S. Ludovici, Philippi IV. Philippi VI. Ludovici XII. Franciſci I. aliiſque omnis uſura prohibetur, permittiturque tantùm indemnitas *l'intereſt*, quod creditoris intereſt, eaque indemnitas certis terminis circumſcribitur.

Juſtinianus Novella 72. cap. 6. curatores eximit à fenerandi neceſſitate, quòd propterea viri pii nollent curatores fieri.

Denique ratio ipſa docet lege humanâ licitum fieri non poſſe quod divina prohibet: ſic quantacunque ſit Reipublicæ circa civilem matrimonii contractum autoritas, efficere non poteſt ut Chriſtiano liceat vel duas ſimul uxores habere, vel priore dimiſſâ aliam ducere.

Hinc apparet illud ſine errore ſuſtineri non poſſe quod ab aliquibus non ſatis conſideratè prolatum dicitur, ad Eccleſiam non ſpectare, ut

ut pronunciet contractus de quibus agitur uſurarios eſſe ; nam de fide eſt proculdubio, pertinere ad Eccleſiam judicium infallibile de moribus ut de dogmate, atque ab ipſa diſcendum eſſe, num aliquis contractus ſit lege divina prohibitus, ut nullo modo legibus humanis licitus fieri poſſit.

Abſolvemus probationes hujus propoſitionis tertiæ duplici teſtimonio, uno S. Thomæ Theologorum principis, altero Grotii viri acatholici & tamen Chriſtianè admodum ea de re pronunciantis.

Igitur S. Thomas 2. 2. q. 78. a 1. qui totus legi meretur ac ponderari, ad 3. „ dicendum, inquit, quòd leges humanæ dimittunt aliqua peccata
„ impunita, propter conditiones hominum imperfectorum in quibus mul-
„ tæ utilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtrictè prohiberentur pœ-
„ nis adhibitis. Et ideo uſuras lex humana conceſſit, non quaſi æſti-
„ mans eas eſſe ſecundùm juſtitiam, ſed ne impedirentur utilitates mul-
„ torum."

Grotius verò de Jure belli & pacis L. 2. c. 12. n. 22. „ Leges humanæ
„ quæ concedunt aliquid ſtipulari pro uſu pecuniæ aut rei alterius, ut
„ apud Hollandos jampridem conceſſum eſt, . . . ſi quidem verè ſtant
„ intra compenſationem ejus quod abeſt, aut abeſſe poteſt, non pugnant
„ cum naturali aut divino jure, ſin eum modum excedunt, impunitatem
„ præſtare poſſunt, jus dare non poſſunt."

Denique noſter Adrianus VI. Pontifex Romanus ſic habet, de Sacram. Pœnit. „ Ex legibus in materia uſuræ argumenta ſumere eſt baculo
„ arundineo inniti, cui dum innixus fueris, confringitur."

PROPOSITIO QUARTA.

In Contractibus de quibus in Caſus poſitione agitur, lucrum eſt ex mutuo, adeoque uſurarium.

„ Mutuum damus, inquit Paulus libro 2. Digeſt. de rebus creditis, re-
„ cepturi non eandem ſpeciem quam dedimus; alioqui commodatum erit
„ aut depoſitum, ſed idem genus." Ex hac mutatione mutuum eſt appellatum, quia non eædem ipſæ res, quæ datæ ſunt, ſed ſimiles & æquales intra idem genus reddi debent, ac per hoc differt à commodato, quo res utenda datur, non abutenda. Commodamus amico pro tempore equum, ſervum, veſtem, librum, hanc ipſam rem quam dedimus recepturi : mutuò damus pecuniam, triticum, vinum, & his ſimilia, quæ mutata recipi neceſſe eſt.

Supra probatum eſt uſuram nihil aliud eſſe quàm lucrum ex mutuo ſeu vi mutui, atque uſura appellatur lucrum illud, quia pro uſu pecuniæ mutuò datæ exigitur. Manifeſtum eſt igitur ex dictis, eos contra-

ctus quorum de juſtitia vel injuſtitia agitur, uſurarios eſſe, ſi in eis lucrum eſt ex mutuo, & vi mutui pro conceſſo pecuniæ uſu recipitur. Porro, ſi bonâ fide agimus, nemo erit eorum à quibus contractus illi ineuntur, qui non fateatur, non alia de cauſa, aliove titulo lucrum illud ſe percipere, niſi quia pecuniam ſuam alteri utendam tradidit, hoc eſt mutuò dedit.

Et verò vel ex mutuo lucrum illud naſcitur, vel ex Societate legitima, vel ex contractu emptionis & venditionis, vel ex juſtâ compenſatione lucri ceſſantis aut damni accepti. Non ex his poſterioribus titulis; igitur ex priori quem uſurarium eſſe nemo diffiteri poteſt.

In primis lucrum ibi non percipitur ex Societate legitima. Namque percipitur, ſive pecunia mutua detur negotiatori qui lucraturus ſupponitur, ſive homini aliàs indigenti, ut domum comparet in quâ habitet, aut ad alium quemlibet uſum, ubi certè nulla Societas eſſe vel fingi poteſt.

Deinde fatentur horum contractuum patroni, illicitos fore ſi à pauperibus lucrum illud exigatur: porro ubi Societas initur, lucrum capi poteſt, ſive cum divite, ſive cum paupere qui ſolam ſuam induſtriam confert. Non eſt ergo in his contractibus Societas.

Tertiò. Ibi Societas non eſt, ubi Socium non vult neque mercator, ne negotiationis ſuæ rationes reddere cogatur; neque creditor, ne pecuniam ſimul & lucrum exponat periculo. In Societatem non confertur ea pecunia, quâ mercator uti poteſt ad quod voluerit, extra mercaturæ cauſam. Nullæ merces ſunt utrique communes: non traditur pecunia ad tempus perficiendæ negotiationi opportunum, neque expectatur negotiationis finis, ut tum demùm expenſis omnibus, damnoque deducto, juſta lucri diſtributio fiat. Nihil hîc ergo Societatis eſt, ſed planè mutuum ſolum, cujus in his contractibus natura, effectus, obligationes reperiuntur, niſi quòd præter mutui naturam plus redditur quàm eſt acceptum.

Quartò, illud quidem conſtat legitimam eſſe poſſe Societatem ubi unus pecuniam, alter induſtriam confert, modò id quiſque periculo exponat quod confert, neque lucrum ſolum ſed damnum etiam commune ſit, cum juſta & æquali proportione, ut qui plus confert, plus lucretur, &, qui plus lucri participat, plus etiam damni, ſi quod intervenerit, ferat. Verùm in hujuſmodi contractibus nihil tale intervenit. Qui pecuniam tradit mercatori, cenſum annuum recipit, ſive mercator multùm aut parùm, ſive nihil lucratus fuerit, ſive ille pecuniam, deficiente eam utiliter impendendi occaſione, otioſam in arca ſervaverit, ſive commercio expoſitam perdiderit, ſive aliquo alio modo, furto v. g. aut naufragio amiſerit. Quæ ergo iſta Societas eſt, ubi

ubi nihil horum reperitur, quibus ſocietas juſta fieri poteſt? Societas cum contrahitur, tam lucri quàm damni communio initur. Lege 67. Digeſt. pro ſocio. Nemo Societatem contrahendo rei ſuæ dominus eſſe definit *L.* 14. *ſi tibi Dig. de præſc. verb.* Hinc ſi naufragio quid perierit . . . damnum ambo ſentiant; nam ſicut lucrum ita & damnum commune eſſe oportet, quod non culpa ſocii contingit. *L.* 52. *cum duobus Digeſt pro ſocio.*

Si qua ibi ſocietas eſt, non legitima eſt ſed iniqua, ſi Ethnicos ipſos audiamus: nam in jure refertur Caſſium reſpondiſſe ſocietatem talem coïri non poſſe, ut alter lucrum, alter damnum ſentiret & hanc ſocietatem Leoninam ſolitum appellare, & nos conſentimus talem ſocietatem nullam eſſe, inquit Imperator. *L. ſi non fuerint Digeſt. pro ſocio.*

Denique, ſocietas ibi ſi qua ſit, vel eſt expreſſa, vel tacita: non expreſſa, neque enim de ineunda ſocietate cogitat qui pecuniam tradit mutuam ſub annuo cenſu: non tacita quæ poſſit juſtus lucri titulus eſſe, aliàs nulla unquam cum mercatore uſura eſſet, aut fuiſſet unquam; vel ſi qua fuiſſet, tolli poterat præmonitis uſurariis ut non ex mutuo ſed ex tacita ſocietate mutatis nominibus lucrum caperent, quod ut abſurdum, ita à SS. Patrum & Conciliorum mente alieniſſimum eſt.

Actus iniquitatem culpabant Patres, non intentionis defectum. Ubi eſt idem actus, eadem eſt iniquitas; Legi hoc pacto illuditur non paretur. Fruſtra uſuræ prohibentur, ſi liceat quæſito ſocietatis titulo, nunquam mutuum dare ſine ſpe lucri. Quid prodeſt commutatio nominis ubi nulla eſt diverſitas rerum, quaſi mutato nomine culpa transferatur & pœna, & vox poſſit abolere reatum; ut optimè ait Innocentius III. Non nominibus ſed rebus poſita lex eſt: contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: in fraudem verò qui ſalvis verbis legis ſententiam ejus circumvenit *L.* 29. *Digeſt. de legibus.*

Neque verò nova eſt aut legitima viſa fuit ejuſmodi excuſatio. Illam memorat ſimul & confutat quarto ſeculo S. Gregorius Nyſſenus ad Lætoïum cap. 6. „ Apud divinam Scripturam & redundantia & uſura ſunt pro„ hibitæ, & per potentiam ad ſuam poſſeſſionem aliena traducere, etiamſi „ ſub prætextu negotiationis hoc fortaſſe factum ſit. „ Diſtinctius rem explicat Zonaras ſeculi undecimi Scriptor & celebris Canonum interpres: ſic enim ad Nicæni Concilii Canonem 17. annotat. „Feneratorii nominis „ invidiam aliqui declinantes, pecuniam ita dant mutuam ut ſibi lucri „ partem ex ea paciſcantur, nec ſe feneratores ſed ſocios dicunt, ac emo„ lumentorum tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum „ ſubeunt. Hæc igitur & hujuſmodi omnia Canon vetat, eaque qui exer„ cent, aut aliud quidpiam turpis lucri gratiâ excogitaverint, depoſitione „ mulctari jubet. „

 Si-

Similiter plane Canonem Nicænum explicat Balſamon, alter Græcorum Canoniſta, & Antiochenus apud ipſos Patriarcha.

Eundem prætenſæ ſocietatis titulum rejiciunt atque uſuræ convincunt Concilium Mediolanenſe ſub S. Carolo, conventus Melodunenſis Eccleſiam Gallicanam repræſentans anni 1578, Concilium Burdigalenſe anni 1585, & Sixti V. Bulla *Deteſtabilis* anni 1586, quibus reprobatur omnis ſocietas in qua ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſalvum ſit: unde apparet in his de quibus agitur contractibus vel injuſtam, vel potius nullam ſocietatem eſſe.

Quod ſpectat titulum emtionis ac venditionis cenſus annui, agnoſcendum eſt poſſe legitimé emi cenſum annuum numerato juſto pretio idque à Martino V. & Calixto III. definitum legitur conſtitutionibus quæ incipiunt ab hac voce *Regimini*. Extravag. commun. lib. 3. tit. 5. Nec diffitemur licere, ſi id leges Reipublicæ non prohibeant, certum quemdam redditum ex bonis aliquibus ad aliquot annos emere: Verùm non aliter id licet quàm ſi pecunia in perpetuum alienetur.

Hanc conditionem in primis memorant laudati Pontifices. „ Semper, inquit Martinus V. in ipſis contractibus expreſſè ipſis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipſum annuum cenſum in toto, vel in parte pro eadem ſumma denariorum quam ab ipſis emtoribus receperant, quandocunque vellent, liberi abſque alicujus requiſitione contradictione vel aſſenſu poſſent extinguere & redimere, ac ſe ab ipſius cenſus ſolutione ex tunc penitus liberare. Sed ad hoc hujuſmodi cenſus venditores inviti nequaquam per emtores arctari vel adſtringi valerent.„

Similiter obſervat Calixtus quod „ ementes pecuniam ipſam etiam agendo repetere non valerent.

Ratio hujus appoſitæ conditionis eſt, quod ubi pecunia repeti non poteſt, ibi non eſt mutuum, adeoque nec uſura quæ nihil aliud eſt quàm lucrum ex mutuo aut quaſi mutuo exactum vel principaliter ſperatum.

Igitur e contrario, ubi ſemper aut poſt aliquod definitum tempus pecunia repeti poteſt, mutuum eſt, quocunque nomine appelletur, non venditio vel emtio; adeoque ſi lucrum ex pecunia ad tempus tradita exigitur, ex mutuo exigitur & pro uſu pecuniæ; quod ſine uſura fieri non poteſt, ut meritò tunc dicamus cum B. Ambroſio c. 14. de Tobia. *Quodcunque ſorti accedit, uſura eſt: quod velis ei nomen imponas, uſura eſt.*

Eapropter cùm infamis Caluiſtarum Apologiſta pag. 107. dixiſſet inter cetera circa uſuras „æſtimo ex diverſis titulis duos ſufficere pro omnibus qui mutuas dant pecunias, nempe contractum ſocietatis cùm dantur negotiatoribus, & emtionem cenſus annui in unum aut alterum

„ annum

„ annum ex aliquibus mutuum ſumentis bonis percipiendum. & pag. 118. „ Licitum eſt uti contractibus ſocietatis, ut & emtione cenſus in annum u- „ num aut alterum, etiamſi pecunia non in perpetuum alienetur„ contra iſtas propoſitiones ſic pronunciavit anno 1658. Eccleſia Senonenſis Cenſuræ n. 22. „Tota hæc auctoris iſtius circa fenus doctrina multis pagi- „ nis explicata divinis humaniſque adverſus uſuras legibus adverſatur, „ & Chriſtianos ad illas malitioſis artibus eludendas erudit.

Idem judicium tulêre Eccleſia Pariſienſis per Vicarios Generales Eminentiſſimi Cardinalis de Rets, Sacra Theologiæ Pariſienſis Facultas, Archiepiſcopi Rothomagenſis, & Bituricenſis, Epiſcopi Aurelianenſis, Bellovacenſis, Andegavenſis, Nivernenſis, Alectenſis, Catalaunenſis, Cadurcenſis, aliique quos ad defendendam moralis Chriſtianæ puritatem & reprimendam laxiorum Caſuiſtarum licentiam magno Eccleſiæ bono Deus illis temporibus ſuſcitavit. Habuere illi apertè ſuffragantes omnes, qui tum erant, alicujus nominis & ſanæ doctrinæ Theologos, quorum judicio ſtare eliget faciliùs qui timoratæ conſcientiæ erit, quàm cum Caſuiſtarum Apologiſta à laudatis Præſulibus & Theologis condemnari.

Illud verò diligenter obſervandum eſt, duo præcipuè in laxiori illo Theologo damnata eſſe: primùm quòd dixiſſet poſſe aliquando fieri ut ſicut legitimi agniti fuerunt contractus olim aliquibus ſuſpecti, quibus emitur cenſus alienatâ in perpetuum pecuniâ, ita idem agnoſceretur de contractibus feneratis, DES OBLIGATIONS, *qui*, inquiebat *hodie reprobantur majori animoſitate quàm ratione*: alterum quòd titulos prætenſæ Societatis ſine ſortis periculo, & emtionis cenſus ſine perpetua pecuniæ alienatione ſuggereret. Prius damnatur tanquam notoriè & manifeſtè uſurarium, poſterius tanqnam uſurarum palliativum.

Cenſuræ ſuæ hanc rationem profert Epiſcopus Bellovacenſis, quòd ſi his titulis lucrum capi poſſet, ſoli demum idiotæ ac ſtupidi homines uſuræ rei eſſe poſſent; atque hoc eſt quod ante diximus cùm de prætenſa mutuantis Societate ageretur, eludi leges divinas, ubi id quod prohibent, propter nomina mutata licitum fieri creditur.

Eadem ratione utitur Sylvius in 2. 2. Q. 78. c. 4. concl. 2. ubi ad juſtitiam cenſûs quatuor jure naturæ conditiones requiri docet, quarum quarta eſt, „ut venditor cenſûs non obligetur eum redimere, ſeu num- „ mos capitales refundere, non computatis ſingulis penſionibus in ſor- „ tem: adjecto enim iſto pacto non eſſet contractus emtionis ſed mutui, „ & quia is qui diceretur emtor certus foret de recipienda ſorte ac inſu- „ per annuis penſionibus, in effectu daret mutuum ſub lucro atque ita „ committeret uſuram. Ita, inquit Covarruvias, Dominicus Soto, Ban- „ nes, Salonius, Toletus, Binsfeld, Navarrus.

 Syl-

Sylvium ſequitur, & propoſitum caſum apertè reſolvit Henricus à S. Ignatio tomo 2. l. 9. c. 78. „Communis ſententia licitum negat cenſum „ utrimque redimibilem, vel ſic redimibilem ad arbitrium emtoris, ut „ penſiones non computentur in ſortem. Ita Sotus, Tapia, Prado, „ Arragonius, Covarruvias, Villalobos, Salonius, Lopez, quos ci- „ tatos, ſequitur noſter Andreas à Matre Dei, quia talis emtio eſt „ mutuum, emtiònis nomine palliatum, ex quo capitale certò reci- „ pitur, cum annuis penſionibus ultra illud receptis. Eſt igitur uſura.„ Ita ille; unde apparet tales contractus non à Gallis ſolis, quos ſeveriores hac in re aliqui fortaſſe exiſtimarent, ſed à Caſuiſtis etiam laxioribus omnium gentium reprobari.

Huc pertinent duæ Regulæ Juris in Sexto; 84. Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti, & 88. Certum eſt quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Unicus ſupereſt damni emergentis, aut lucri verè ex mutuo ceſſantis titulus, qui reipſa ubi locum habet, eum excuſare poteſt, qui lucrum non captat, ſed ſuæ tantum indemnitati conſulit. Verum ad excuſandos promiſcué contractus de quibus agitur, allegari non poteſt.

Primò enim confitentur omnes acceſſionem ad ſortem de qua in prædictis contractibus fit ſtipulatio, à pauperibus exigi non poſſe, . . . acceſſio ergo quæ exigitur non indemnitas eſt, ſed lucrum ex mutuo, quod à nullo ſive paupere ſive divite ſine damnata uſura exigi poteſt.

Deinde, ut de prætenſo Societatis titulo dictum eſt, ſi ſemper poteſt creditor ratione lucri ceſſantis exigere ſuperabundantiam, immeritò prohibetur ſuperabundantia, præcipiturque mutuum dari nihil inde ſperando. immeritò à Patribus culpantur uſurarii; quis enim eorum quos tam graviter increpant Sancti Doctores non potuiſſet reſpondere, ſe nihil aliud in animo habere niſi ut eo meliori quo fieri poſſet modo pecuniam utiliter collocaret, ſeque, niſi mutuò dediſſet, aliter lucrari conaturum fuiſſe? Certè hoc eò veriùs uſurarius quiſque affirmare potuiſſet, quò fuiſſet amantior pecuniarum.

Tandem non negamus legitimè compenſari poſſe lucrum ceſſans poſitis quibuſdam conditionibus, ſed eas à contractibus de reditu utrimque redimibili abeſſe ſolere manifeſtum eſt. Is quippe ſolus ratione lucri ceſſantis aliquid poteſt exigere, qui mutuò tradit pecuniam negotiationi jam expoſitam aut proximè vera & efficaci animi deſtinatione exponendam, qui eam non ad ſuum arbitrium, atque ut tranquillé & ſine labore certum reditum percipiat, negotiationi ſubtrahit, ſed ad preces & utilitatem creditoris, qui aliam pecuniam reliquam non habet ex qua negotiari poſſit, qui indemnitatem ex vero quod patitur damno non ex lucro

lucro quod debitorem factûrum ſupponit metitur, quorum nihil cogitant qui reditum ex pecunia mutuo data exigunt, ut fruſtra omnino hic titulus ad eos excuſandos proferatur.

Patet igitur ex hac quarta propoſitione, lucrum ex reditibus utrimque redimibilibus proveniens, non eſſe ex contractu legitimæ Societatis, vel emtionis & venditionis, neque ex lucri ceſſantis juſto titulo; & conſequenter tantum eſſe ex vero mutuo, proindeque ut Uſurarium cenſeri oportere.

RESOLUTIO.

Ex his ſatis apparet quid reſponderi poſſit ac debeat ad primam Caſus propoſiti quæſtionem; etenim ſic ex antedictis licet argumentari.

Omne lucrum ex mutuo exactum vel intentum eſt uſurarium, ut probatum eſt propoſitione ſecunda.

Atqui lucrum ex reditibus utrimque redimibilibus eſt lucrum ex mutuo, ut propoſitione quarta aſſertum eſt.

Conſequenter lucrum ex reditibus Utrimque redimibilibus eſt Uſurarium.

Ulterius ſic ratiocinamur.

Lucrum ex reditibus utrimque redimibilibus eſt Uſurarium ut jam probatum eſt.

Atqui omnis Uſura eſt illicita & lege divinâ prohibita, ut patet ex propoſitione prima.

Unde evidenter ſequitur lucrum ex reditibus utrimque redimibilibus eſſe illicitum, & lege divina prohibitum.

Sed decet hanc quæſtionem verbis Theologorum Præſulumque ſive Apoſtolicæ ſedis ſive aliorum, ipſiſque adeo Conciliorum oraculis potius quam privati cujuſquam opinione definiri.

Audiamus ergo ſacrum Pariſienſium Theologorum ordinem anno 1717. in Articulis Doctrinæ pronunciantem 1. Parte. Articulo 91. „Sive à „ pauperibus (quibus non ſolum mutuo dare, ſed etiam erogare ſæpe „ præceptum eſt:) ſive à divitibus aliquid, ſupra ſortem exigere vel in„ tendere vi mutui ad certum incertumve tempus dati, uſuræ crimen „ eſt, naturali, divino & humano jure prohibitum.

Articulo 92. „ Peccat contra juſtitiam qui ex pecunia alteri tradita „ aliquid ultra ſortem exigit, niſi vel in perpetuum alienata fuerit vi „ contractus, vel adſit titulus juſtæ compenſationis ratione lucri ceſſan„ tis, aut damni emergentis ex bona fide, vel accedat contractus legi„ timæ Societatis.

Articulo 93. „ Qui in contractu legitimæ Societatis capitale etiamſi

„ abſque conſortis culpa perierit, ſalvum ſibi fore paciſcitur, uſuram
„ committit ſub ſimulato Societatis nomine.

Articulo 94. „Vi trium, ut ajunt, contractuum; ſcilicet Societatis,
„ aſſecurationis ſummæ principalis, & venditionis majoris lucri incerti
„ pro minori quod certum ſit, lucrum exigere vel intendere, uſura eſt.

Articulo 95. „ Obligatio ad reſtituenda bona ex fenore comparata
„ tranſit ad uſurariorum heredes.

Audiamus Clerum Gallicanum anno 1700. ſex propoſitiones in hac materia damnantem.

54. Eſt de contractu mohatra.

55. „Cùm numerata pecunia ſit precioſior numeranda, & nullus ſit
„ qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt
„ creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab U-
„ ſura excuſari.

56. „Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex
„ benevolentia & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam
„ ex juſtitia debitum.

57. „ Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget
„ ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

58. „ Tam licet ex alienatione per aliquot annos cenſum annuum exi-
„ gere, quàm licet exigere cenſum perpetuum ex alienatione perpetua.

Cenſura. „Hæ propoſitiones, in quibus mutato tantùm mutui & uſu-
„ ræ nomine, licèt res eodem recidat; per falſas venditiones & aliena-
„ tiones, ſimulataſque Societates, aliaſque ejuſmodi artes & fraudes vis
„ divinæ legis eluditur, doctrinam continent falſam, ſcandaloſam, ca-
„ villatoriam, in praxi pernicioſam, palliativam uſurarum, verbo Dei
„ ſcripto ac non ſcripto contrariam, jam à Clero Gallicano reproba-
„ tam, Conciliorum ac Pontificum decretis ſæpe damnatam.

59. „Uſura, etſi eſſet prohibita Judæis, non tamen Chriſtianis, le-
„ ge veteri in judicialibus præceptis abolita per Chriſtum.

Cenſura. „Hæc propoſitio verbo Dei contraria eſt, novæ legis perfe-
„ ctioni, & omnium gentium in Chriſto adunatarum fraternitatem
„ tollit.

Audiamus S. Facultatem Theologicam Lovanienſem 4 Maji 1657 ad requiſitionem Reverendiſſimi D. Epiſcopi Gandavenſis, propoſitionem ex recenſitis 56am hac Cenſurâ perſtringentem. „Hæc aſſertio pericu-
„ loſa eſt, & ſerviens ad excuſandum & palliandum Uſuras de jure præ-
„ ſumptas „

Eadem S. Facultas Anno 1677 Sanctiſſimo D. Innocentio Papæ XI. propoſitiones 55am, & 56am obtulit judicandas.

Audiamus Alexandrum VII & Innocentium XI. Hunc 2. Martii 1679, cum

Digitized by Google

cum totius Epiſcopalis ordinis plauſu, ut loquebatur Illuſtriſſimus Boſſuetus, reprobantem eaſdem propoſitiones 55am & 56am. Illum 18. Martii 1666 propoſitionem 57 condemnantem.

Audiamus S. Thomam 2. 2. Q. 78. a 1. dicentem: „ſecundum ſe illi-
„ citum eſt pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium quod dicitur
„ uſura.

Audiamus S. Auguſtinum in Pſalmum 36. Conc. 3. n. 6. „Nolo ſitis
„ feneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult.......ſi plus quàm de-
„ diſti exſpectes accipere, feneratores, & in hoc improbandus, non
„ laudandus.

Audiamus S. Leonem Pontificem ſerm. 6. de jejunio 10 menſis:
„ Fenus pecuniæ, funus eſt animæ.

Audiamus Ambroſium l. de Tobia cap. 15. „Generaliter ſententia Dei
„ omne ſortis excludit augmentum:„ & ad Vigilium. „Non dabis pe-
„ cuniam tuam ad uſuram, quoniam ſcriptum eſt, quòd is qui pecu-
„ niam ſuam non dedit ad uſuram habitabit in tabernaculo Dei. . . Ita-
„ que vir Chriſtianus, ſi habet, det pecuniam quaſi non recepturus, aut
„ certé ſortem quam dedit recepturus.

Audiamus Gregorium Nyſſenum oratione contra uſurarios. „Ego ve-
„ rò, inquit, primùm dandum & donandum eſſe prædico, & annun-
„ cio. Deinde ad mutuum quoque exhortor, altera enim donationis
„ ſpecies eſt mutuum: ſed addo hoc dandum eſſe ſine fenore, & exa-
„ ctione uſuraria, eoque modo quo id divina oracula præcipiunt. æquè
„ enim obnoxius eſt pœnæ qui non dat mutuum, & qui dat ſub condi-
„ tione uſuræ: illius namque inhumanitas, hujus verò cauponarius quæ-
„ ſtus meritò condemnatus eſt?

Audiamus ipſum Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Rovenium Caſum propoſitum in congregatione Sacerdotum Diæceſis Ultrajectenſis ſic reſolventem. „An contractus quos vocant obligationes annales, quibus ſtipu-
„ latur certum lucrum cum obligatione reſtituendi ſortem certo tempo-
„ re ſint liciti? *Reſp.* Eſſe illicitos, utpote includentes vitium Usuræ
„ prout nunc communiter fiunt. Nàm certum illud lucrum præter ſor-
„ tem ad placitum reddendum, neque ex libera Domini voluntate ha-
„ betur: (vellet enim is cui pecuniæ mutuo dantur gravamen illud non
„ ſubire, nec præſumitur ſolvere ſponte niſi quia pacto adſtringitur) nec
„ ex legis vel conſuetudinis permiſſione quia nullum jus vel conſuetudo
„ permittit Uſuram.„ Rov. MS.

Audiamus Concilia ſupra ſexaginta. * Traditionem univerſam tam perſpicuam tamque perpetuam ab initio Eccleſiæ ad hæc uſque tempora, ut quanquam ſemper in populo ac ſæpe in clero fuerint uſurarii, nulli fue-
rint

* Vide Gaitte *Tractatu de Uſura & fœnore* Quæſt. v.

rint Eccleſiaſtici autores ante hæc ultima tempora, qui non omne ex mutuo lucrum, ſeu manifeſtum, ſeu palliatum reprobaverint, ac ne ulli quidem ex quibus objectiones ſaltem plauſibiles contra hanc inconcuſſam morum regulam peti poſſint, ut planè dici queat nullum eſſe dogma fidei vel morum, quod certiori & conſtantiori Traditione ad nos tranſmiſſum fuerit.

Digitized by Google

ITERATA DISCUSSIO QUÆSTIONIS CIRCA REDITUS UTRIMQUE REDIMIBILES; DUOBUS SCRIPTIS COMPREHENSA;

Ubi maximè expenditur, an omne lucrum ex mutuo exactum vel principaliter ſperatum, ſit uſurarium.

I.

CONSILIUM
Doctiſſimi Cauſidici circa caſûs poſitionem.

ROGATUS quidam Cauſidicus, ut de Scripto cui titulus *Caſûs poſitio circa Reditus utrimque redimibiles*, ſententiam ſuam diceret; circa eam, mentem ſuam declaravit, ut ſequitur.

QUATUOR Propoſitiones (Caſûs poſitionis) partim probo, partim improbo.

Prima Propoſitio * eſt omni jure certiſſima.

Propoſitio ſecunda in verbis, *Omne lucrum ex mutuo exactum, vel principaliter intentum, eſt uſura*, non probatur mihi. Hac in parte totum opus & labor eſt. Et non inter Theologos tantùm, ſed & apud noſtræ Profeſſionis homines laboratur.

Convenit inter omnes, prohibitas uſuras eſſe, non divino tantùm, verum & civili jure.

Sed redacti ad uſuræ definitionem, diſputant adeò, ut nullus omnium videatur certo niti principio.

Mea quidem opinio ſemper fuit prima fronte paradoxa, ſed perſuaſa tandem non paucis cordatiſſimis viris, qui apertè ſunt faſſi ſe ad id uſque tempus hæſiſſe in errore, ſeu petitione principii : quod vetus malum eſt Juriſperitorum, nec minus Theologorum.

Nimirùm à Cicerone ſum doctus in omni diſputatione, ut à definitio-

* I. Propoſitio. *Uſuram omnem prohibet Lex divina.*

ne ſumatur exordium, ne nominis potiùs quàm ipſius rei ſit quæſtio.

Quid igitur eſt uſura ? Si *omne lucrum ex mutuo exactum, vel principaliter intentum*, eſt bona definitio, nihil habeo quod addam ; & Propoſitiones primæ duæ, tertiam & quartam † inferunt pulcherrimè.

Sed illa ipſa definitio petit principium. Undenam ſumpta eſt ? Video quidem ſanctorum Patrum ſententias *uſuram eſſe mutui redundantiam*. Item *ſi pluſquam ſortem acceperis*. *Et ſimilia*. Sed hæc, ut aliquatenùs vera ſint, magis ad oratoriam libertatem, quàm ad philoſophicam exactitudinem referenda ſunt. Nihil iſta continent falſi, ſed non definiunt omne verum, neque ſtringunt ad amuſſim.

Nihil continent falſi, quia revera niſi quid ultrà ſortem accipitur, uſura eſſe non poteſt. Et ita quoties uſura eſt, aliquid ultrà ſortem accipitur.

Sed cum eo conſiſtit, ut etiam ſine uſura aliquid ultrà ſortem accipi poſſit. Neque ſancti Patres in ſuis Homeliis, quæ ex tempore dicebantur, omnem exactitudinem ſermonis perpetuò ſervaverunt, ſicut in opuſculis polemicis, ut quodam loco notat Auguſtinus contra Pelagianos in verbis : *Vobis nondùm diſputantibus Patres liberiùs ſunt locuti.*

His adde, ſanctos Patres ad uſurarios ſui temporis reſpexiſſe, qui & in noſtro jure *Menſarii* appellantur. Hi propoſitis publicè menſis cum pecunia miſerè torquebant pauperes, mutuatis pecuniis, & acceptis pignoribus, quæ pignora divendebantur Idibus, niſi pars centeſima ſortis eſſet penſa Kalendis, quæ Kalendæ cùm recurrerent menſtruè, abſorbebant annuè 12. pro 100.

Eâ lege abſtinebant divites ; hi maluiſſent eo pretio ſortes ponere quàm legere. Et ſic illa pura puta uſura erat juxtà definitionem paulópoſt proponendam.

Quamquam nec illa ipſa in univerſum diſplicuit ſanctis Patribus, ſed eatenùs duntaxat, quà vel opprimeret pauperes, vel exerceretur à Clericis, vel nimiam diteſcendi cupiditatem argueret, ut patet ex Concilio Niceno relato in Caſûs poſitione pag. 3. Quo loco non damnatur *Conſtitutum*, ſed *avaritia* & *turpe lucrum* ; idque in Clericis duntaxat, non in Laïcis. Nec enim alia pœna proponitur, quàm ut *deleatur è Clericorum catalogo*, non autem è Chriſtianorum Communione. Ergo tales paſſi ſunt Chriſtianos. Quid ni & nos ?

Autoritates recentiores nihil moror. Nec enim aliam agnoſco fidei vel morum regulam, quam quæ in Verbo Dei ſcripto, vel Apoſtolica Traditione habeat fundamentum. Noſtri Scholaſtici plerumque turbam ſequuntur,

† III. Propoſitio. *Leges civiles licitum facere non poſſunt contractum uſurarium, ſeu quo exigitur lucrum ex mutuo.*

IV. Propoſitio *In contractibus (reditibus utrimque redimibilibus) de quibus in Caſus poſitione agitur, lucrum eſt ex mutuo, adeóque uſurarium.*

tur,

tur, vel confidentiſſimum quemque Magiſtrum, nec ultrà quærunt principium.

His præmiſſis, ita cenſeo: Naturali jure cuique jus eſſe de re ſua pro arbitrio ſtatuendi. Hæc definitio eſt dominii. Quæ definitio non aliam limitationem recipit, quam unam hanc: *Niſi ſi quid lege prohibetur.*

In Dominio autem noſtro eſt & pecunia noſtra, quam licet mihi meam tibi dare vel gratis; & viciſſim tibi tuam dare mihi vel gratis. Ergo & pro beneficio accepto, verbi gratia pro mutuo mihi preſtito.

Hoc de genere nullus dubitat, nec dubitare licet. Sed replicabitur, non dubitari de voluntario, ſed accuſari duntaxat *exactionem* uſuræ ultrà ſortem.

Hanc rationem ego equidem non capio. *Preſtari poteſt*, hoc admittunt omnes. *Exigi poteſt*, hoc jam negant. Quaſi verò id quod preſtari poteſt, promitti non poſſit, aut quod promiſſum eſt non poſſit exigi, ſi lex nulla prohibet.

Scio eſſe leges quæ gratuitam preſtationem non prohibent, ſed prohibent exactionem aut pactum, ut in ſimonia.

Sed illæ leges debent indicari & probari ad plenitudinem juris, ut coarctetur naturalis libertas mea ſtatuendi pro arbitrio de re meâ, de pecuniâ meâ.

Ergo non incumbit mihi onus probandi, quod liceat ultrà ſortem aliquid capere: ſed incumbit adverſæ parti, ut probet hoc mihi non licere. Hoc eſt ingens principium, & magnopere notandum.

Quis verò modus hoc probandi? Ego certè nullum ſcio, nec audivi qui convinceret. Aiunt uſuras damnatas eſſe lege divinâ. Eſto. Sed in hoc *ipſo nominis* eſt quæſtio, quid ſit uſura. Definitio quæ facit *Propoſitionem* ſecundam, petit principium. Illam, ut tu ais, ego nego. Ergo tu proba. Sit dictum ſalvâ reverentiâ, & tantùm modo ratiocinationis cauſâ, ut ſtringat magis brevitas ſermonis.

Certè in ſacris litteris nihil tale eſt. Uſuram ibi prohibitam ſcio. Definitionem ejus ibidem non invenio. Sed ſi ex verbis licet ipſam rem colligere; memini, cùm adhuc hebraicè ſcirem (hanc enim linguam mihi abſtulit ætas & negligentia) hoc annotaſſe; nimirum ubicumque noſtra vulgata habet vocem *uſura* vel *fœnus*, hebraicam vocem ſignificare *morſum.* Verbi gratia in hoc textu *non fœnèraberis fratri tuo; ſed fœneraberis extraneo*: hæbraica ſignificatio ſic habet: *non mordebis fratrem tuum, ſed mordebis extraneum.* Quo loco extranei ſumuntur pro paleſtinis, cùm quibus erat indictum bellum perpetuum: ita ut quos licebat occidere, à fortiori liceret ſpoliare vel mordere.

Quis autem eſt ille morſus? morſuſne eſt ſi mercatori prædiviti, nec habenti hic & nunc paratos nummos ad emendam navim onuſtam mercibus, verbi gratia ab hoſte captam, decem millia mutuavero, unde ipſe cen-

Digitized by Google

centum millia in lucro ſit habiturus: & ſimul ſtipuler ultra ſortem quinque millia cum ipſa ſorte reſtituenda poſt menſes duos vel tres?

Quem ego hâc in parte mordeo? mercatoremne? Papæ! ille vero mihi gratias agit maximas. Sine me 95 millibus careret, quæ nunc amplius in bonis habet: nec egenus erat antea, ut miſericordiam jure caritatis eliceret. Poteram ego, ſalvâ lege tam caritatis quam juris, nolle mutuum dare, ac ne pignore quidem vel hypotheca contentus eſſe. Acceptavit ille conditionem ſeſqui ſortis reddendæ; idque non tam in rem meam quam in rem ſuam. Non habet quod mihi imputet; ſed quod ſibi gratuleretur. Hanc uſuram eſſe, quæ in turpi lucro conſiſtat, nemo ſanus dixerit.

Quid ergo eſt uſura? uſura eſt, ubi morſus eſt. Morſus eſt, ubi pauper premitur, & ubi caritas dictat gratis dandum aut mutuandum, aliquid ultra ſortem exigitur: in ſummâ, dum conventiones iſtæ extorquentur ab inopiâ petentium & afflicto additur afflictio. Hoc & ratio damnat, & prohibet lex divina.

Cumque experientiâ conſtet, regulariter genus hoc, quod in lucro ſupra ſortem verſatur, ad perniciem pauperum pertinere, (Divites enim illuc raró confugiunt, niſi majoris lucri ſpe) ea res movit latores legum civilium, ut in univerſum damnarent omne lucrum ultra ſortem ex mutuo, niſi dum ſors ipſa alienatur irrevocabiliter, quamdiu ſolvitur canon annuus.

Sed ea res non probat jus naturæ vel divinum. Poteſt enim lex civilis ultra procedere & ex ratione univerſali prohibere quod naturaliter licet: ne dum in uno juſta excuſatio admittitur, ab omnibus aliqua tentetur.

Si ergo civilis lex Hollandiæ contractus iſtos non improbat, nulla cauſa eſt cur Eccleſia Hollandica eoſdem in univerſum condemnet; ſed eatenus tantum, qua uſura vera committitur, ſeu morſus proximi, qui in anguſto poſitus per quidvis tranſeat, ut paratos nummos obtineat.

Cumque ea res à circumſtantiis pendeat quæ generali lege comprehendi, vel definiri non poſſunt: exiſtimo multum hâc in parte tribuendum eſſe prudenti judicio Confeſſariorum atque Paſtorum, qui omnibus expenſis, exiſtimabunt an intervenerit revera morſus proximi, an vero participatio quædam lucri, quod meis nummis alter facturus eſt.

His intellectis, omnia cadunt, & ſi quis reſidet ſcrupulus, eximere non dubito. Proponatur duntaxat.

N: N.

II.

RESPONSIO
AD
PRÆCEDENS CONSILIUM.

AMPLISSIME DOMINE,

MUltum tibi me debere profiteor, quod ad nos mittere dignatus fueris Scriptionem inſignis Juriſconſulti circa noſtram caſûs Poſitionem. Illam avidè legi ac relegi, nec aliquas in eam rem obſervationes tecum, aut per te cum eruditiſſimo viro communicare verebor, ſi quidem hoc & ipſe expoſcere videtur, & ad veritatis illuſtrationem profuturum eſſe confido.

Primum de eo valdè gaudeo in Domino quod agnoſcat primam noſtram Propoſitionem eſſe *in omni jure certiſſimam*. Aliud expectari non debuit à viro egregiè cordato & Juris ſcientiſſimo. Ratum igitur fixumque id maneto, quod apud orthodoxos dubium eſſe non poteſt, uſuram omnem & quidquid uſuram ſapiat, rem eſſe chriſtiano homine indignam, ipſique execrandam, quod illa jure divino, humanoque ſeu canonico, ſeu civili prohibeatur. Quænam utrimque in confeſſo ſint.

Alterum, quod ambabus ulnis amplector, eſt quod ait in ſecunda Propoſitione totum opus ac laborem eſſe. Confitetur vir doctiſſimus *ex duabus prioribus propoſitionibus tertiam & quartam inferri*, ut ipſe loquitur, *pulcherrimè*. Nempe manifeſtum eſt nec legibus humanis licitum fieri poſſe, quod divinâ prohibetur, nec ullum eſſe in cenſibus quos utrimque redimibiles vocant, vel juſtæ ſocietatis, vel legitimæ emtionis, vel lucri ex mutuo vere ceſſantis, atque ex æquitate compenſandi titulum, ſed verum mutuum, ac lucrum ex mutuo, non ſperatum tantùmmodo & principaliter intentum, ſed etiam exactum; adeóque uſurarios eſſe tales contractus, ſi uſura nihil aliud ſit quàm omne lucrum ex mutuo exactum aut principaliter intentum. Hæc definitio ſi legitima ſit, fatetur vir eruditiſſimus *nihil habere ſe quod addat*; atque ut legitimis argumentis probetur poſtulat, iis cedere paratiſſimus. Quid in controverſiam vocetur.

Benedictus ſit Deus qui eo rem perduxit: nihil enim facilius eſſe ducimus quam hanc definitionem adſtruere; imo res confecta eſt iis quæ pro ſecunda Propoſitione prolata ſunt teſtimoniis. Multa ſunt, plana, generalia. His roborata Propoſitio principii petitio haberi non poteſt, & fru- Hoc ipſum probatum eſt.

ſtrà poſtulari videtur ut probemus quod ex Scriptura, ex Patribus, ex Conciliis, ex Theologis, ex legibus ipſis probatum fuit. Negantium eſt teſtimonia, ſi qua habent, prolatis teſtimoniis opponere, atque exceptiones ſuas non propriis conjecturis, ſed legitimis probationibus confirmare. Unde enim, quæſo, diſcendum eſt quid uſuræ nomine reprobaverit lex divina ſimul & humana, niſi ab ipſis legibus, à Scriptura, à Conciliis, à Pontificibus, à Patribus, à Juriſconſultis, à Theologis, qui cum in opinionibus plerumque diſcordes ſint, in hoc moralis chriſtianæ dogma conſentiunt omnes, uſuram eſſe lucrum ex mutuo exactum, vel ſperatum, vel principaliter intentum. Non ex his fontibus hauſit definitionem ſuam vir doctiſſimus: eam ipſe *Paradoxam* appellat; ac revera quid paradoxum magis, quàm divinas humanaſque contra uſuram leges à nemine rectè intellectas fuiſſe ante hæc noviſſima tempora, ubi prolata eſt nova uſuræ notio ac definitio? Neſcierunt ergo quid uſura eſſet Patres cum populum erudierunt, Canoneſque & Decreta contra uſuram condiderunt? An ſcierunt quidem, ſed nunquam explicaverè, ut nunc opus ſit novam proferre ejus criminis toties prohibiti definitionem? Scripturas quæ uſuram reprobant, non intellexêre, an cum intelligerent, earum ſenſum non poſteris tradiderunt? Quàm hæc incredibilia ſunt, tam certum eſt uſuram nihil aliud eſſe, quàm quod ipſi dixere, ideſt lucrum ex mutuo.

Nova notio uſuræ non inducit ſolam de nomine quæſtionem.

Neque verò illam à doctrina Patrum ac Theologorum diſſenſionem levem ac facilè excuſandam quis putet, quaſi de ſolo nomine quæſtio ſit. Namque, ut ne dicam cum Quintiliano, *utendum planè ſermone ut Nummo cui publica forma eſt*, hoc præcipuè obſervandum eſt, eum qui notionem uſuræ ideo immutat ut lucrum ex mutuo, quod generatim Patres reprobant, aliquando minimè uſurarium & licitum dicat, non de ſolo nomine, ſed de reipſa movere quæſtionem. Patres docent omnem uſuram legi divinæ repugnare, & omne ex mutuo lucrum uſuram eſſe. Contra ipſos Calvinus inſurgit, & agnoſcens tale lucrum uſuram ſemper eſſe, negat ſemper eſſe peccatum, ſed tunc tantum ubi immoderatum eſt, vel a pauperibus exigitur. Quid inſignis Juriſconſultus noſter? Agnoſcit cum Patribus omnem uſuram eſſe quolibet jure proſcriptam, negat omne lucrum ex mutuo etiam exactum aut principaliter intentum uſurarium eſſe. Videtur ille ſibi cum Patribus de ſolo nomine diſputare; Imò vero, cum Patribus in voce ſolum conſentit, de regula morum ipſis contradicit; cum enim uſuram omnem reprobat, non idem intelligit quod Patres; cum approbat aliquod ex mutuo lucrum, id licitum putat quod illi injuſtum clamant. Cum Calvino è contrario de voce litigat, refugit enim uſuram appellare quod ille uſuram eſſe agnoſcit, de re ipſa conſentit. In eo Calvino contradicit quod Calvino commune cum Patribus, in eo conſentit quod ab ipſo contra Traditionis autoritatem & fidem Eccleſiæ probatum eſt.

Quid.

Quid igitur dicendum de tali uſuræ notione, niſi non ſolum eſſe paradoxam, ſed novam, ſed novitate falſi convictam, ſed perniciosſam, & eludendis legibus natam, & ſimilem illorum figmentis quos meritò alicubi ridet Montaltius, qui ſperaverunt poſſe ſe vitia de moribus tollere, & vim auferre legibus, ſi mutatis rerum definitionibus, negarent homicidium eſſe quamlibet cædem ex privata autoritate factam; ſimoniam eſſe quamlibet rei temporalis pro ſpirituali exactionem; adulterium carnale omne conjugatæ perſonæ cum altera præter conſortem commercium; hoc nec in ipſo Jure Civili leges ferrent, quanto minus ferendum in Theologia morali? *Liberis verbis*, aiebat olim Auguſtinus, *loquuntur Philoſophi.... Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, ne* ~~*rerum novitas*~~ verborum licentia *etiam de rebus,* ~~*impiam pariat opinionem*~~ quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. — Quam perniciosa eſſe poſſit.

Poteram ex hoc ſolo vitio præſcriptione uti adverſus paradoxam novitatem, verbo abſit injuria; neque enim in virum colendiſſimum conjicitur, ſed in notionem quam ipſe talem eſſe agnovit. Verùm ne diſſimulare videamur argumenta quibus fulciri illa poteſt, videamus quid cariſſimus nobis Scriptor objiciat textibus Patrum, quid Theologis, quos contra ſe ſtare non dubitat, quid denique argumenti proferat, ut Scripturam ſibi non adverſari, rationem verò etiam favere perſuadeat. — Lib. 10. de civit. Dei cap. 23.

Patrum, Conciliorum, Pontificum teſtimoniis quatuor opponit reſponſiones. Prima eſt, nihil illa continere falſi, quia revera niſi quid ultra ſortem accipitur, uſura eſſe non Poteſt, & ita quoties uſura eſt, aliquid ultra ſortem accipitur; ſed cum eo bene conſiſtit, ut etiam ſine uſura aliquid ultra ſortem accipi poſſit, nempe vi mutui; hac enim de re agitur. — I. *Objectio* contra argumentum ductum ex Patribus.

Non poſſum non maximè laudare quod ait vir doctiſſimus, laudata Patrum teſtimonia nihil falſi continere: hoc ab ipſo expreſſit innata Catholicis omnibus erga ſanctos Eccleſiæ Doctores reverentia: ſed timeo ne quod unâ manu porrigit, alterâ ſubtrahere meritò videatur. Si enim falſum ſit, ut ipſe exiſtimat, ibi ſemper uſuram eſſe, ubi lucrum ex mutuo exigitur, vel ſperatur, planè falſiſſimam propoſitionem Patrum teſtimonia continebunt; ſiquidem disertè affirmant non ſolum uſuram non eſſe, niſi lucrum ex mutuo fiat, quod fatetur amicus noſter, ſed etiam lucrum illud quod fit ex mutuo ſemper uſurarium eſſe. *Quodcunque ſorti accedit uſura eſt*, inquit Ambroſius, *quod velis ei nomen imponas, uſura eſt. Generaliter hac ſententia Dei omne ſortis excludit augmentum. Non intelligunt*, ait Hieronimus, *uſuram appellari & ſuper abundantiam quidquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint plus acceperint.* Abſurdæ ſententiæ, ſi non omne, ſed aliquod tantùm ex mutuo lucrum uſura eſſet; quemadmodum abſurdum eſſet dicere omne juramentum eſſe perjurium, quia niſi in juramento perjurium eſſe non poteſt, & omnem actum liberum eſſe peccatum, quia ſine actu libero non poteſt actuale eſſe peccatum. — *Reſponſio.* — *De Tobia cap.* 14. — *In cap.* 18. *Ezech.*

At enim oratoriè forſan magis quam accuratè locuti ſunt ſancti Patres & Præ- — II. *Objectio.*

Digitized by Google

Præſules; hæc enim altera reſponſio eſt nobis nondum litigantibus ſecuriùs loquebantur. In Homiliis quæ ex tempore dicebantur, non omnem perpetuò ſermonis exactitudinem tenuerunt.

Reſponſio. Dicatur id ſanè, ſi & probari poſſit, & noſtræ quæſtioni applicari. Oratoriè locuti credantur, ubi id conveniebat, ſed non abſurdè, non contra omnes conſuetudinis humanæ regulas, non eo modo qui fidelibus laqueum injiceret potius quàm viam virtutis deſignaret. Accuſentur quaſi iis ad populum ſermocinantibus *exactitudo* defuerit, ſi aliter de uſura in Homiliis, aliter in operibus aliis locuti ſint. Reſpondeatur ſecuriùs eos locutos fuiſſe, ſi oſtendi poſſit circa uſuram, ut circa gratiam in ſuis precibus, ſuâque agendi ratione id eos credidiſſe quod alicubi negare videntur. Tunc ejuſmodi exceptioni locus eſſe poteſt. At ſi de uſura ſic loquuntur Patres doctiſſimi in ſuis ad Scripturam commentariis, imò in ipſis operibus Polemicis, ut Tertull. contra Marcionem lib. 4. cap. 14. & Clemens Alex. lib. 2. Stromatum, quomodo in ſuis contra uſurarios Homiliis; ſi id ſuis legibus reprobant Concilia & Pontifices quod ſacri oratores redarguunt; ſi eos è Clero vel à Communione arceri jubent tanquam divinæ legis prævaricatores, quos è ſuggeſtu traducunt ut injuſtos; ſi hodiernas uſuræ patronorum objectiones referunt ac refellunt; ſi nullus è ſanctiſſimo reliquorum Doctorum choro diſſentit; ſi Oriens & Occidens unâ voce tanquam uſurarium damnant omne ex mutuo ſortis augmentum, quænam, rogo, iſta licentia eſt fingere ipſos oratoriè non accuratè locutos eſſe? Nonne ſic illudunt ſibi Calviniani, ubi teſtimonia proferimus pro reali Chriſti in Euchariſtia præſentia, ſic molliores caſuum Arbitri, cum allegamus ea quæ ſpectant ad caritatis neceſſitatem commendandam, ſic ſpectaculorum ſectatores, quando ea quæ à Patribus de his ſatanæ pompis referimus? Abſit igitur à nobis pernicioſa illa methodus, quæ vim Traditionis omnem enervat, & paternæ fidei judices nos & adverſarios, non humiles faceret diſcipulos.

III. *Objectio.* Tertiæ exceptionis hæc ſumma eſt, reſpexiſſe ſanctos Patres ad uſurarios ſui temporis. Ita profectò eſt; ſed quid inde conſequatur, attendamus.

Reſponſio. Illorum temporibus erant qui immodicis uſuris urgerent pauperes, atque in hos vehementer declamant ſancti Doctores. At erant etiam qui moderatam uſuram recipere magis quàm exigere viderentur; cùm tamen non alioquam fœnerandi animo mutuum darent. Erant qui à mercatoribus exigerent, nec aliter quam ſecundum aut infra limites Conſtantini lege præſcriptos: Erant qui cum ea lex centeſimam toleraret, id eſt, duodecim pro centum, ſex tantum aut quatuor in augmentum peterent. Erant qui non pecuniam, id enim lege prohibitum in univerſum intelligebant, ſed fruges aut merces aliquas, qui non nummos ſed munuſcula captarent. Quid igitur de illis ſancti Patres?

Audiamus S. Hieronymum. „ Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecu-

„ pecunia: quod prævidens Scriptura divina OMNI REI AUFERT SUPERABUNDANTIAM, ut plus non recipias quam dediſti. Solent in „ in agris frumenti & milii, vini & olei cæterarumque ſpecierum uſuræ „ exigi, ſive ut appellat Sermo divinus ſuperabundantiæ, verbi gratiâ, ut „ hiemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam. „ (Hæc erat uſuræ ratio pro frugibus lege tolerata, *Hemiolia* appellata.) " Qui juſtiſſimum ſe putaverit, quartam plus accipiat portionem. . . . . Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & non intelligunt uſuram appellari & ſuperabundantiam quidquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint." In cap. 18. Ezech.

Similiter S. Ambroſius de Tobia cap. 14. " Quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam NEGOTIATORIBUS, non „ in pecunia uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum, tanquam uſurarum „ emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat : Neque uſuram, „ inquit, eſcarum accipias, neque omnium rerum quas fœneraveris fratri „ tuo. Fraus iſta & circumſcriptio legis eſt . . . Quodcumque ſorti accedit, uſura eſt.

Similiter S. Auguſtinus in Pſal. 36. ſerm. 3. *Si pluſquàm dediſti* EXPECTES *accipere, fœnerator es.*

Certè Nicænum Concilium decimo ſeptimo ex his Canonibus quos Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos recipit Eccleſia, eos damnat, tanquam Legis divinæ oblitos qui uſurâ legibus toleratâ contenti erant, eâque pœnâ mulctat quæ non niſi ob crimina imponebatur, dejectionis nempe è gradu clericali.

Quis credidiſſet ex eo Canone defenſionem uſuræ peti unquam poſſe! & tamen petitur, atque hæc eſt quarta exceptio, quia ſolos Clericos pœnâ dejectionis damnat Concilium, ſi quolibet modo ex mutuo lucrentur, arguitur uſuram non in univerſum diſplicuiſſe ſanctis Patribus, ſed eatenus duntaxat quatenus vel opprimeret pauperes, vel exerceretur à Clericis. IV. *Objectio.*

Siccine oblivioni traditur quod ab initio traditum fuit, uſuram omnem quolibet jure prohiberi! Siccine inde ipſi patrocinium arceſſitur, ubi generatim Concilii generalis omnium ut antiquiſſimi, ita & ſanctiſſimi oraculo reprobatur! Opponamus doctiſſimo Juriſconſulto Juriſconſultum etiam uſuræ nimis faventem, eaque in re à Calvino in quem tam propenſus erat deceptum. Molinæum dico, qui de uſuris n. 515. " Alciatus, inquit, reſtringit dictum Concilium Nicænum ad Clericos, & „ malè; duo enim ſunt in illo Canone, primum reprobatio & prohibitio „ avaritiæ & turpium lucrorum; ſecundum pœna ejectionis è Clero & „ gradu Eccleſiæ: ſed iſtud NON EST TOTA nec definitiva pœna, ſed potius „ domeſtica correctio. Primum autem ad omnes ſpectat, & omnes laïcos *Reſponſio.*

C etiam

„ etiam mercatores ligat ; tametſi verba ad ſolos Clericos, à quibus maxi-
„ mè incipiendum erat, dirigantur.

Neque interprete opus eſt ; legatur tantùm textus Canonis : pronuntiat Concilium eos qui mutuum dantes centeſimam exigunt, hoc eſt lucrum lege Imperatoriâ definitum, oblivi ſci divinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Igitur niſi velimus Concilium id laïcis permiſiſſe, divinæ ut legis obliviosi & prævaricatores eſſent, fieri omninò non poteſt, ut uſuram quam in Clericis damnat, in laïcis licitam crediderit. Vanam hanc conjecturam egregiè refellit Concilium Carthaginenſe I. paulopoſt Nicænum, ſeu circa annum 348. celebratum Canone 13. qui in codice Eccleſiæ Africanæ Canonum eſt quintus. „ Abun-
„ tius Epiſcopus Adramentinus dixit : In noſtro Concilio ſtatutum eſt
„ ut non liceat Clericis fœnerari : quod ſi & Sanctitati tuæ, (inquit,
„ Præſidem alloquens) & huic Concilio videatur, præſenti Placito deſi-
„ gnetur. Gratus Epiſcopus dixit : Novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſ-
„ curæ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis formam accipient,
„ (id eſt examinari indigent, & à noſtro arbitrio pendere poſſunt, ut præ-
„ cipiantur vel non) cæterum de quibus APERTISSIME SACRA
„ SCRIPTURA SANXIT, non ferenda ſententia eſt, ſed potius exe-
„ quenda. Proinde quod IN LAICIS REPREHENDITUR, id multo
„ magis in Clericis oportet prædamnari. UNIVERSI DIXERUNT :
„ NEMO contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo. „
En quo ſpiritu uſuram omnem in Clericis præcipuè, ſimul tamen in laïcis, nemine excepto, uno conſenſu univerſi & magna aſſeveratione condemnant Patres, tanquam in Scriptura apertiſſimè reprobatam, in Prophetis proſcriptam, in Evangelio prohibitam.

Haud aliter Concilium Turonicum anni 461. „ Illud etiam ſecundum
„ Scripturarum autoritatem & Patrum conſtitutionem addendum credi-
„ mus, ut ne quis Clericus qui negotiandi ſtudium habere voluerit, uſu-
„ ras accipiat, quia ſcriptum eſt : Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſu-
„ ram. Et alio loco : In plateis ejus uſura & dolus : manifeſtum eſt enim
„ beatitudinis non poſſe conſequi gloriam qui à præceptis divinis devia-
„ verit ”.

Hinc uſuram in viduis perinde ut in Clericis damnat Autor conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 3. c. 7. & in omnibus lib. 4. c. 3. fœneratorum oblationes ab Epiſcopo rejici oportere decernens : ita quoque Tertullianus, Clemens Alex. Lactantius, Concilia Aquiſgranenſe anni 789. cap. 5. Cabillonenſe anni 819. Meldenſe anni 845. Ticinenſe anni 850. & cætera quæ commemorare nihil opus eſt, cum ea de re nemo dubitet. Apponam tantum verba Cabillonenſis citati Canone 5. *Sacerdotes à turpibus lucris & uſuris non ſolum ipſi abſtineant, verum etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtituant.* Et erunt poſtea qui Sacerdotes ab utroque dehortari audeant.

Digitized by Google

audeant ac dicere, uſuram non in univerſum Patribus diſplicuiſſe ?

Cur igitur, inquiunt, uſurarium Clericum deleri è Clericorum catalogo jubet Synodus, non repelli à Chriſtianorum communione ? V. Objectio.

Reſpondeo primò nihil certius eſſe quam eadem crimina quæ anathema arceſſebant in laïcos, ſola degradatione ſeu dejectione in Clericis puniri conſueviſſe, ne bis in idipſum vindicari, ſeu duplici pœnâ culpa eadem plecti videretur. Reſponſio.

Secundò quærere liceat ab uſuræ Patronis quid de ipſa cenſerent, ſi Concilium & excommunicatione laïcos uſurarios plecti voluiſſet, & Clericos dejectione ſimul & excommunicatione mulctaſſet ? Uſuram procul dubio condemnarent omnem & in Clericis & in laïcis Hoc ergo tandem faciant ſi ſacra Concilia reipſa venerantur. Sic enim ſtatuit Concilium Eliberitanum anno 305. vel antea celebratum Canone 20. „ Si quis laï-
„ cus accepiſſe probatur uſuras . . . ſi in ea iniquitate duraverit, ab Eccle-
„ ſia projiciatur." Sic pronunciat Arelatenſe I. anni 314. ex toto orbe ut loquitur Auguſtinus can. 12. de miniſtris qui fœnerant, *Placuit eos juxta formam divinitus datam à Communione abſtineri* : nempe juxta Pſalmum 14. ubi in ſancto Monte habitare non ſinitur qui pecuniam ſuam dedit ad uſuram. Sic ſtatuit Concilium Arelatenſe II. anno 455. can. 14 „ Si quis
„ Clericus pecuniam dederit ad uſuram, aut conductor alienæ rei voluerit
„ rit eſſe, aut turpis lucri gratia aliquid negotiationis exercuerit, depo-
„ ſitus, *à communione alienus fiat*.

Hæc & ſimilia quæ in Traditione innumera ſunt, ſi præ oculis habuiſſet vir eruditiſſimus, numquam crediddiſſet poſſe ſe conſtantem Theologorum omnium conſenſum contra lucrum quodlibet ex mutuo ſpernere aiendo, *Autoritates recentiores nihil moror: nec enim aliam agnoſco fidei vel morum regulam, quam quæ in Verbo Dei ſcripto, vel Apoſtolica Traditione habeat fundamentum.* Aurea verba, ſi bene intelligantur & executioni mandentur. Ita ſanè ſit: Recentiores nihil moremur, ſi illi à ſe invicem & ab Antiquitate diſſenſerint, ſi meris innitantur rationis noſtræ corruptæ argutiis, & figmentis cordis humani, ſi morum diſciplinam præter Patrum inſtituta laxaverint, ſi ab Academiis, ab Epiſcopis, à ſancta Sede, applaudente orbe Catholico eorum ſcripta vel opinamenta condemnentur. Hac nos ratione repellere poſſumus Molinæum, Autorem libri *De la Pratique des billets*, & quemlibet alium recentiorem lucri ex aliquo mutuo exacti vel ſperati Defenſorem. At recentiores Theologos nefas eſt non audire, ſi duce Scripturâ & Traditione Philoſophiam adhibuerint revelationi famulantem, ſi pro Conciliis & Patribus pugnaverint contra cupiditatem, ſi Scripturam eo ſenſu intelligant quo ſæculis omnibus intellecta fuit, ſi quod in ſcholis tradunt, Præſules in Conciliis etiam generalibus ratum habent. Porro ſic egêre Theologi omnes ducibus Magiſtro ſententiarum, S. Thoma & Bonaventurâ, Scoto, Gerſonio, VI. Objectio. Reſponſio.

S. An-

Digitized by Google

S. Antonino, ex Lege & Pſalmis, ex Prophetis & Evangelio, ex Cypriano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Nyſſeno, Hieronymo, Auguſtino, Leone, Patribus denique & Conciliis omnibus uſuræ & crimini communi ſuffragio deputant lucrum omne ex mutuo quolibet exactum vel ſperatum. Illis in hac rerum conditione refragari, Patrum textus eludere quaſi non ſequantur exactitudinem philoſophicam, Theologos ſpernere quia recentiores ſunt, quid aliud eſt quam Patribus detrahere, quia Scholaſtici non fuerunt, & Scholaſticis, quia Patrum ætate non vixerunt? Imò quid aliud quam imprudenter abjicere illam ipſam fidei morumque regulam, quæ in Verbo Dei ſcripto & Apoſtolica Traditione manifeſtum habet fundamentum? Huic regulæ quam unam atque immotam eſſe oportet, nihil præſcribere poteſt, non ſpatia temporum, non conſuetudines regionum, non legum autoritas civilium, non hominum quorumcumque aut judicia, aut praxis, aut ratiocinia.

Examinemus tamen quæ ex Scripturæ locutione aut ex ratione proferri poſſe credidit inſignis Juriſconſultus. Tanto evidentior veritas erit, quanto magis expenſa fuerint quæ ipſi adverſari videntur.

Objectio ex Scriptura. Opponit igitur vir doctiſſimus uſuram in Scripturis *Neſchec* id eſt *morſum* appellari, adeóque ibi uſuram non eſſe, ubi modicum quid à Negotiatore divite ſine ullo ipſius incommodo exigitur.

Reſponſio. Reſpondeo 1. mirum eſſe duci argumentum in favorem lucri moderati ex uno uſuræ nomine, nec reponi quidquam ad argumentum quod reliqua omnia ipſius nomina ſuppeditant ut oſtendatur uſurarium eſſe omne ex mutuo lucrum. Scriptura partim Hebraicè, partim Græcè Eccleſiæ data eſt: textûs Hebraici verſio Græca Eccleſiæ Orientalis uſu conſecrata eſt; Vulgata Latina Eccleſiæ Occidentalis conſenſu & Tridentino Canone: utraque authentica eſt. In Vulgata verſione prohibet Deus ſuperabundantiam & uſuram, hoc eſt, ut ipſa nomina ſignificant, ſortis aut rei cujuſcumque mutuo datæ auctarium pro pecuniæ alteriuſve uſu. In verſione Græca reprobantur τοκος & πλεονασμος, id eſt, fetus pecuniæ, & cujuſcumque rei ſuperabundantia. In textu Hebraico vetantur *Neſchec* & *Tharbith*, id eſt, morſus & multiplicatio. Cur excuſabitur lucrum moderatum ex mutuo ſub eo obtentu quod morſum dici non poſſe arbitrantur, interea dum certò comprehenditur ſub Tharbith, ſub τόκῳ, ſub πλεονασμῷ, ſub uſura & ſuperabundantia, quæ ſine ulla exceptione damnantur? Quid igitur neceſſe eſt de nomine litigare ubi de re conſtat? non minus ſuperabundantiam reprobat Scriptura quam morſum, non minus *Tharbith* quam *Neſchec*: utrumque damnatur Ezechiel. 18. & 22.

Reſpondeo 2. ubicumque eſt lucrum ex mutuo morſum eſſe ſeu Neſchec, quia ſine juſto titulo exigitur illud omne quod ſorti accedit. Vim nonimis utriuſque Neſchec & Tharbith optimè explicat Salmaſius, vir in eo diſciplinarum genere peritiſſimus, etſi in materia de fœnore aliquo uſque à

Calvino

Calvino deceptus. „ Neſchec, inquit de uſuris cap. 7. eſt τόκος; Thar-
„ bith πλεονασμὸς; hoc incrementum, illud detrimentum: nec ulla alia
„ inter eas voces differentia, niſi ex diverſa relatione; omnis enim uſura
„ Tharbith eſt creditori, & Neſchec eſt debitori: atque ut Tharbith
„ omnis eſt πλεονασμὸς, etiam quod ex levi uſura redit, ita & Neſchec
„ quælibet uſura detrahens, etiamſi valde modica."

Non abſimiliter Buxtorfius & ipſe Calvinianarum partium homo, ſed linguæ Hebraicæ ſcientiſſimus. „ Neſchec, inquit, à Naſchac momordit, „ quod ſæpius de morſu ſerpentum dicitur, & metaphoricè ſignificat „ fœnerare, in uſuram dare, ut Deut. 23. 19. Creditor mordet, cum „ exigit quod non dedit."

Quem ego hac in parte mordeo? Mercatoremne? Pape! ille verò mihi gratias agit maximas: ſine me nonaginta quinque millibus careret quæ nunc amplius in bonis habet. *Proſecutio Objectionis.*

Reſpondeo & gratias acturum pauperem, qui frumento ad uſuram quamlibet dato vitam protelarit, vel gravibus uſuris preſſus leviori fœnore mutuam acceperit pecuniam, quam crudeli oppreſſori refundat. Illum in bonis amplius habiturum qui equo ſibi ad dies aliquot locato ad nundinas iverit, ibique centum aureorum millia lucratus fuerit. Ideone licebit vel pauperi ad uſuram dare mutuum, vel equum quinquaginta aureorum millibus locare? *Reſponſio.*

Reſpondeo 2. cum Molinæo ipſo n. 26. Quantumcumque conſtet debitorem ſuperlucraturum ex mutuo, vel damnum maximum evaſurum, non eſt juſta cauſa ut quidquam exigere poſſit creditor ultra ſortem. Ratio eſt quod *pro re unaquaque* id tantum exigi poteſt quod juſtum ejus *pretium* eſt, non quantum valet utilitas quam pariet: alioqui & pharmacum quod morbum depellet & panis qui vitam conſervabit, & trajectio fluvii qua quis inſequentem hoſtem effugiet, & ſi quid ejuſmodi eſt immenſo pretio vendentur. Porro pecuniæ pretium lege definitum eſt, nemo ergo exigere poteſt ut plus ob pecuniam ipſam reddatur quam valebat illa cum debitori tradita eſt.

Quod ſi malit debitor cum onere modicæ uſuræ mutuum accipere, quam carere mutuo, hoc eſt, iniquâ conditione induſtriam exercere utiliter, quam illam otioſam remanere, ſi uſuram, cum ipſe fortaſſe ab aliis accipiat, ſolvit non illibenter, an ideo licebit quod Deus prohibet? Primus hic & principalis Dominus eſt, quo invito de re quapiam diſponi legitimè non poteſt, neque magis uſuræ vitium excuſabit mutuatarii conſenſus, quam divortium, adulterium, Polygamiam conſenſus illius uxoris cui altera ſubſtituitur aut ſuperinducitur.

At Deus non prohibet quominus vel recipiam quod gratis datur, vel exigam quod promiſſum fuit. *Proſecutio Objectionis.*

Reſpondeo prohibere Deum in veteri etiam Teſtamento ne detur pe- *Reſponſio.*

 cunia

cunia ad uſuram, prohibere Chriſtum, qui in novo Fœdere non manum ſolum cohibet, ſed etiam animum, nec pravam tantum actionem tollit, ſed & pravam intentionem, ne mutuum demus propterea quod lucrum ſperamus. Quod ultro Mercator pecuniam offerat, tanquam debitum, quod gratis donet, non efficit umquam ejus vel error vel liberalitas ut liceat pecuniam dare ad uſuram, & ideo mutuum dare, quia lucrum ex illo ſperatur; ſicut quod aliquis ſit paratus dare Miniſtro rerum ſacrarum ſubſidium aliquod temporale, non efficit ut liceat res ſacras vel cum pacto lucri dare, vel ideo miniſtrare ut accipiatur illud qualecumque ſubſidium.

Hanc Domini prohibitionem aliquo uſque reveriti ſunt Caſuiſtæ, & uſuram vel modicam comprobare non auſi, palliare tentarunt aientes: ,, Non eſt uſura dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevo- ,, lentia & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia ,, debitum." Hanc propoſitionem & damnavit Facultas Lovanienſis 4. Maii anno 1657. & ab Innocentio XI. damnari obtinuit: applauſit orbis Chriſtianus; Innocentii XI Decretum cum celebri Paſtorali Epiſtola promulgavit Illuſtriſſimus Caſtorienſis Epiſcopus. Licebitne igitur ex juſtitia exigere quod ne ex gratitudine quidem exigi patitur Eccleſia.

Objectio ex ratione. Quid, rogo, mali eſt ſi exigam participationem quandam lucri, quod meis nummis alter facturus eſt?

Reſponſio. Reſpondeo perpetuam hanc fuiſſe uſurariorum objectionem, & à Patribus confutatam. *Quin & ſcelus ſuum*, aiebat Greg. Nyſſenus oratione contra uſurarios, *pulchris obvelant nominibus humanum cenſum ſeu quaſtum appellantes*. S. Ambroſius cap. 14. de Tobia: ,, Putas te pie fa- ,, cere qui à negotiatore velut mutuum ſuſcipis aliquid, nempe de mer- ,, cibus eorum..... Quodcumque ſorti accedit uſura eſt." S. Hieronymus in Ezechielis caput 18. ,, Solent argumentari ac dicere: Dedi u- ,, num modium qui ſatus fecit decem modios. Nonne juſtum eſt ut ,, medium modium *de meo* plus accipiam, cum ille meâ liberalitate no- ,, vem & ſemis *de meo* habeat?.... *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, ,, *Deus non irridetur*.

Hoc igitur reponere ſatis eſſet, lucrum ex mutuo à Deo prohiberi, adeoque nec audiendum quodlibet contra Legem ratiocinium. Serpentis eſt dicere: Cur præcepit vobis Deus? Potuit præcipere quia voluit & Dominus eſt. *Prior eſt*, ut alicubi ait Tertullianus, *autoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis*. Si Regiis Edictis paretur, cum illi tale eſſe Placitum ſuum pronunciant, impium eſſet Deo denegare obedientiam, niſi prohibitionis rationem intellexerimus.

,, Philoſophi ratione ducuntur, Juriſconſulti lege Principis, Chriſtiani ,, fide & autoritate, cui credere magnum compendium eſt & nullus labor" ut loquebatur Auguſtinus de quantitate animæ cap. 7. n. 12. Theologia

Moralis

Digitized by Google

Moralis, nc Theologia quidem eſt ſeu ſcientia ex revelatis principiis deducens concluſiones, ſi ratione non autoritate officia noſtra metiri voluerit. Dogmata everterunt hæretici, morum Diſciplinam Caſuiſtæ molliores dum relictâ vel ſpretâ autoritate, rationi humanæ utique corruptæ, & perpetuò impingenti niſi autoritate fulciatur, nimium confiſi ſunt.

Caveamus igitur libidinem iſtam inquirendi in legem, eamque humanis conjecturis ſubjiciendi; ſic inveheretur non ſolum uſura modica à divitibus exigenda, ſed & immodica qua pauperes urgerentur. Spectemus enim quo tendat iſta objectio. Licet mihi lucri partem capere quod fit ex nummis meis. Licebit ergo & pauperi dare ad uſuram, nam & ille lucrum aliquod facere poteſt, & quanto magis nummis meis indigebit, tanto juſtius erit, ut lucrum mecum partiatur. Deinde nec modicam eſſe uſuram oportebit, namque in ſocietate poſſum, ſi ego pecuniam contulero, alter induſtriam, mediam lucri partem capere. Poſſum, ſi ille ſolum miniſterium præſtiterit, totum fere lucrum ex nummis meis factum capere, illius induſtriam ex pacto compenſando. Quid ni ergo lucrum quod ſupponitur eſſe centum millium aureorum ex æquo cum mercatore partiri, & pro decem millibus recipere ſexaginta?

Quid ſi Chriſtus prævidens, hac portâ cupiditati apertâ, nec quemquam facilè pauperibus ſine lucro mutuaturum, ut experimur, nec ullum fore uſurarum modum, voluerit lucrum omne ex mutuò, etiamſi per ſe injuſtum non eſſet prohibere, quis dicet ei: Quare feciſti ſic? Quid proderunt omnes illæ argumentationes, quæ, ut legem non evacuant, ita nec prævaricationem poſſunt excuſare?

Ita fere ſentiebat Grotius, qui etſi ſuſpicaretur non uſuram eſſe lege naturæ prohibitam, tamen in veteri & novo Teſtamento proſcriptam eſſe dubitare non poterat. „ Quidquid hac de re ſentire libeat, inquit „ de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 12. n. 20. ſufficere nobis debet lex „ à Deo Hebræis data, quæ vetat Hebræos Hebræis pecuniam dare fœ„ nori..... quæ tunc officia homini Hebræo, aut alioqui circumciſo; „ nam hujus cum Hebræo par cauſa erat, præſtari jubentur, ea nunc „ præſtanda ſunt homini cuivis, &c."

Neque vero ita reſpondemus quaſi id concedere velimus uſuram jure naturali non damnari, aut non poſſimus fallacem rationem veriori & magis philoſophicâ argumentatione refellere; ſed optimè monet Auguſtinus nihil ſalubrius in Religione fieri, quam ut rationem præcedat autoritas, & unuſquiſque hac methodo convincendus eſt, quæ ipſum facilius queat in viam ab errore revocare. Rationum philoſophicarum vim pleriqque vel non intelligent, præcipue ſi contrariâ opinione præoccupatus ſit animus, vel tentabunt eludere per objectiones, quæ tametſi fallaces, plauſibiles tamen videri poſſint. Propterea noluit nos Deus circa uſuram conjecturis noſtris relinqui. Rationem ea in re, ut in pleriſque, revelatione inſtruxit firmavitque, ac melius pleniuſque

niſque per legem, per Prophetas, per eos quos decantamus Pſalmos, per Evangelium, per Eccleſiæ Traditionem & judicia docuit, quàm per Philoſophos edoceri poſſimus. Divinas præceptiones, ubi cum ea qua par eſt docilitate & gratitudine exceperimus, tum aut ſpernemus iſtas quæ ingeruntur difficultates, aut eas facilè ſolvemus, quod egregiè præſtitêre S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, aliique innumeri Theologi. Negant illi poſtquam mutuum feci, meos nummos eſſe illos quibus fit lucrum; quia per mutuum transfertur à creditore in debitorem pecuniæ dominium, idque agnoſcit Juſtinianus, ſecundum quem mutuum inde appellatum eſt, quia à me ita tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Inſtit. lib. 3. tit. 14. Favet & ratio: nam qui mutuum ſumſit, de pecunia ſibi credita poteſt ad libitum diſponere, jus habet eâ utendi, abutendi; quod jus à dominio ſeparari non poteſt. Denique res Domino perit, perit autem mutuatario; unde & id diſcriminis eſt inter locationem & mutuum, quod locator retinet dominium rei locatæ. L. *non enim ff. locati*, propter quod ad eum rei ſuæ pertinet periculum, ut ſi domus locata conflagrarit, ſi navis conducta naufragium paſſa fuerit: Creditor è contrario non retinet dominium pecuniæ mutuatæ, ſed illud transfert in debitorem cujus propterea eſt periculum. Lib. 2. ff. *ſi cert. petat.*

Iniquum igitur eſt ut pecuniam quam dico meam eſſe, ſi perierit mihi perire nolim, & velim mihi fructificare ſi fructificet, imo etſi nec fructificet. Iniquius ut cujus damni particeps eſſe nolo, ejus lucri ſi quod fecerit cum iſtis nummis quos meos appello particeps fuero. Iniquiſſimum, quod tamen plerumque fit, hoc lucri dividendi prætextu, iis ad cenſum annuum mutuam dare pecuniam, qui nec mercatores ſunt, nec lucrum ſe facturos ſperant, ſed vel domum ſibi comparare volunt, vel ex aliqua urgenti neceſſitate emergere.

Hinc facilè eſt colligere quam fruſtra latiſſimè diſputent aliqui, ut probent ſterilem non eſſe pecuniam, ſit enim illa quantum voluerint frugifera, certè non magis erit quàm frumentum quod terræ creditum triginta, ſexaginta, centum modios pro uno reddit, ut ſupponit Evangelica Parabola. Et tamen pro uno modio vel quartam unius partem inſuper exigere & divina lex prohibet, & vetant Concilia, & Philoſophia ipſa injuſtum eſſe demonſtrat.

Hæc ſunt quæ paucis perſtringenda cenſuimus, quod plura inutilia forſan eſſent his qui apertâ legis divinæ prohibitione non territi præceptum volunt ſuo captu metiri, & veluti cum Deo ipſo contendere; hæc vero ſatis futura ſint viro peritiſſimo & ſincero qui optat non ſuam, ſed veram ſententiam triumphare.

Ignoſcet mihi, ut ſpero, ſi ea in re, quam diu multumque meditatus ſum, non ſolum his quæ ex tempore dictavit non acquievero, ſed etiam hortatus fuero, ut rem diligentius expendat ad præclaram hanc legem quam ipſe poſuit, hoc eſt, ad eam fidei & morum regulam, quæ in Verbo Dei ſcripto, vel Apoſtolica Traditione habet fundamentum. Non poſſum non ſperare fore ut agnoſcat quod ipſe Baſnagius confeſſus eſt Octobri 1691. ac Junio 1697. lucrum ex mutuo non niſi ex cupiditate & conſuetudine defendi, & vel ſolum contradicentium numerum ſufficere ut concutiantur conſcientiæ timoratæ. Dicet cum Domino Huygens Compendii Theologiæ anno 1679. in lucem dati pag. 57. *Non videmus quomodo ab uſura excuſemus cenſus quos hodie vocant utrimque redimibiles.* Timebit ſuam, & omnium qui ejus è conſiliis pendent, ſalutem opinioni ſaltem minus probabili & minus tutæ credere, quia ut præclarè S. Thomas, qui dubia negotia, dubiaſque opiniones ſequitur, magis convincitur amare lucrum quam conſcientiam & ſalutem.

F I N I S.

Digitized by Google

APPENDIX
AD
CASUS POSITIONEM
CIRCA
REDITUS
UTRIMQUE REDIMIBILES,
IN QUA
PRIORIS QUÆSTIONIS RESOLUTIO
ELUCIDATIS DIFFICULTATIBUS CONFIRMATUR.

DOLENDUM quidem illud eſt, circa eam rem, quæ non parvi in morum doctrina momenti ſit, non conſentire inter ſe in his regionibus omnes morum magiſtros, eamque diſſenſionem etiam inter illos reperiri, quibus aliis in rebus cognitionem ſimul & amorem veritatis largitus eſt Deus. At quantumcumque malum hoc ſit, medicabile eſt, modò ad quæſtionis examen afferatur ſincerum legis divinæ cognoſcendæ adimplendæque deſiderium, nec velit quiſque aut præjudicatæ ſemel opinioni ſine examine ita adhærere, ut aliorum rationes ne audiat quidem, aut illas non alio quàm contradicendi animo expendere. Ab eo ſpiritu maximè alienos ut nos eſſe profitemur, ita & perpetuò fore confidimus cariſſimos nobis Dominos qui ſuas circa poſitionem caſûs difficultates propoſuere, ut meritò ſperare liceat, hìc locum habiturum quod ait Apoſtolus: *Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Philip. III. 15. 16.

Hoc ut aſſequamur, proderit procul dubio eas nunc elucidare difficultates quæ eo pertinent ut ſuadeatur vel non omne ex mutuo lucrum eſſe prohibitum, vel in contractibus de quibus agitur, non ex mutuo, ſed ex juſto titulo lucrum percipi. Nam alias quæ ex præſumpta levitate delicti, aut bona fide, vel ex incommodis prohibitionis repetuntur; & ſi quæ aliæ ſunt hujuſmodi quæ ad tolerantiam tantùm inducunt, eo uſque differendas cenſemus, donec ſecunda quæſtio, quæ de tolerantia horum contractuum eſt, reſolvatur.

ARTICULUS I.

Solvuntur difficultates circa lucrum ex mutuo.

I. OBJECTIO.

NOn videtur Scriptura reprobare uſuram ſeu lucrum ex mutuo, niſi ubi à pauperibus exigitur. Hæc enim ſunt legis verba.

Exodi xxij. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo* PAUPERI *qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.*

Levitici xxv. 35. 36. 37. *Si* ATTENUATUS *fuerit frater tuus & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo, nec amplius quàm dediſti. Time Deum tuum, ut vivere poſſit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges.*

Deuteronomii xxiij. 19. 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam; nec fruges, nec quamlibet aliam rem ſed alieno: fratri autem tuo abſque uſura* ID QUO INDIGET *commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingredieris poſſidendam.*

Ecce hoc tantùm prohibet Deus ne fratri indigenti ad uſuram detur pecunia, diviti verò vel extraneo ad uſuram dari permittit, nec permittit tantùm, ſed præcipit. Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram.... *ſed alieno:* fratri autem tuo abſque uſura ID QUO INDIGET commodabis: En ſolidum fundamentum ejus ſententiæ quæ favet contractibus qui hîc uſitatiſſimi ſunt.

Ex his locis explicandi ſunt procul dubio David, Ezechiel, Eſdras, & alii omnes qui uſuram reprehendunt; neque enim aliud culpare cenſendi ſunt quam violationem legis divinæ.

Ex his explicanda Chriſti Domini verba Lucæ VI 35. Ibi enim nullam novam legem tradidit, & mutuum ad certum cenſum ſeu reditum approbat potiùs quàm proſcribit.

Similiter explicandi textus omnes Conciliorum, Pontificum & Patrum.

RESPONSIO.

I. Hoc primum liceat quærere à recentioribus quibuſcunque qui in his Scripturæ locis ſententiæ ſuæ fundamentum collocare ſe gloriantur, quis ante eos è SS. Doctoribus Eccleſiæ, quis è Conciliorum Patribus, quis è ſummis aliiſve Pontificibus, quis ordo Theologorum, imò quis Theologus paulò antiquior & integri nominis ita Scripturas explicarit, quis eadem ex illis conſectaria deduxerit, quis ex Moyſe & approbandam aliquam uſuram & reſtringendos alios textus, in quibus ſine reſtrictione reprobatur, docuerit. Nefas enim eſt credere non fuiſſe ad noſtra uſque tem-

pora

Digitized by Google

pora in ipſa, & ab ipſa Eccleſia intellectam morum regulam in Scripturis traditam.

II. Huic quæſtioni tantò juſtius eſt eos reſpondere qui aliquod ex mutuo lucrum approbant, quòd volunt Conciliorum & Patrum teſtimonia cum reſtrictione eſſe explicanda. Cenſent ergo Patres in Scriptura non cujuslibet, ſed alicujus tantùm uſuræ condemnationem reperiſſe. Id ſi ita eſt, fieri non potuit, ut Scripturam nunquam in eum ſenſum interpretarentur in quem ipſi accipiebant : adeòque proferendi ſunt hujus interpretationis autores & vades.

III. Verùm tantum abeſt ut veteres legem eo ſenſu acceperint, quo accipiendam cenſent moderni moderatæ uſuræ patroni, ut ex profeſſo objectionem illam diluant, doceantque ſic explicandam eſſe aut conciliandam cum reliqua Scriptura & ipſo Evangelio legem Moyſis, ut ſciamus omnem uſuram, omne ex mutuo lucrum interdici.

IV. Aliter explicari legem Moyſis non patitur Scriptura ipſa veteris Teſtamenti, quæ pluribus locis indiſcriminatim uſuram omnem deteſtandam docet.

PSAL. XIV. 1. 5. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? .... qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.*

Pſalmo LIV. 11. 12. 16. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injuſtitia: & non defecit de plateis ejus uſura & dolus.... veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes*, &c.

Pſalmo LXXI. 14. *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.*

Proverb. XXVIII. 8. 9. *Qui concervat divitias uſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas. Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

Ezechielis XVIII. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 17. *Vir ſi fuerit juſtus.... ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit... hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus Deus. Quod ſi genuerit filium... ad uſuram dantem & amplius accipientem, nunquid vivet? Non vivet.... Quod ſi genuerit filium qui... uſuram & ſuperabundantiam non acceperit.... hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet.*

Ezechielis. XXII. 12. 15. *Uſuram & ſuperabundantiam accepiſti... & diſpergam te in nationes, & ventilabo te in terras.*

His omnibus locis omnis uſura ſeu ſuperabundantia quæ in hoc præciſe poſita eſt quod pluſquam mutuo datum ſit accipiatur, generatim reprobatur. Non facit ergo lex Moyſis ut uſura aliqua licita credi poſſit, ſed faciunt è contrario David, Salomon, Ezechiel, ut intelligamus nihil ex lege in favorem uſuræ cujuſcunque colligi poſſe.

V. Qui ex quibuſdam legis Moſaicæ textibus volunt reſtringi ea omnia loca in quibus uſura generatim prohibetur, ſic ratiocinari videntur, quemadmodum qui illa omnia, quibus mendacium, & impudicitia ſine exceptione damnatur, vellent ex aliis reſtringi, ita ut mendacium prohibitum

Digitized by Google

nullum eſſet niſi falſum contra fratres noſtros teſtimonium, illudque cum perjurio conjunctum, impudicitia nulla prohibita præter fornicationem, eamque cum adulterio conjunctam.

Nempe non obſervant hujus objectionis autores hanc Scripturæ methodum eſſe, ut quæ ſpecialem includunt malitiam, ſpecialiter interdicantur; & tamen generalioribus locis ea omnia exprimantur à quibus abſtinendum eſt; eam verò legis Moſaïcæ fuiſſe naturam ut ab imperfectioribus præceptis ad perfectiora, ſeu expreſſiora tranſiretur, & Prophetas ſæpe indicare ad veram juſtitiam nequaquam ſufficere id quod ad implendam legis litteram ſufficere videbatur.

Dicendum ergo omnino eſt, Exodi XXII. clarè prohiberi, primùm uſuram pecuniæ immodicam quæ à fratre paupere exigatur: Levitici XXV. vetari expreſſiùs uſuram pecuniæ ſimul & frugum ſuperabundantiam, & utramque non exceſſivam tantùm ſed omnem omninò prohiberi, facta tamen adhuc pauperum mentione: Deuteronomii XXIII. omiſsâ pauperum conditione omnem vel uſuram, vel ſuperabundantiam erga omnes contribules aut proſelytos circumciſos interdici; Prophetas denique generatim à juſtitia & cœlo uſurarium quemlibet excludere, ſive quia regnum cœlorum apertiùs promittentes, apertius quoque demonſtrarunt qualem eſſe oporteret illius regni hæredem, ſive quia hominis officia non ex ſola lege Moſaïca quæ multa ad cordis duritiam tolerabat, ſed præcipuè ex lege naturali metiuntur, quæ omnem erga quoſlibet juſtitiæ caritatiſve defectum & prohibet, & ulciſcitur.

VI. Hanc Scripturarum interpretationem qua facile ſubvertitur contrariæ opinionis fundamentum, non tantùm poſtulat ipſa Scripturarum & Religionis analogia, ſed etiam ſuppeditat, ut poſteà videbimus, ubi de ſexto S. Lucæ capite, expreſſa veterum Eccleſiæ Patrum & principum ſcholæ autoritas, ut non appareat qua ſolidâ ratione reſpui poſſit.

VII. Antequàm ad alias objectiones tranſeamus, duas treſve obſervationes adjungi oportet, quibus appareat ipſa loca quæ allegantur tanquam fundamentum opinionis uſuram aliquam permittentis, ſi rectè intelligantur, illius iniquitatem quàm maximè oſtendere.

Prior eſt multum aberrare eos qui lege Moſaïca nullam uſuram prohiberi affirmant, niſi quæ à fratre inope, neceſſitate conſtricto, & ad extremas anguſtias vel redacto, vel ſaltem uſuris ipſis redigendo exigatur. Nihil enim certius eſt quàm Judæis vetari ne quam à quocumque homine natione vel religione ſibi proximo uſuram exigant. Ita legem explicant omnes ad unum veteres ac novi interpretes. Ita intellexere Joſephus antiquæ hiſtoriæ l. 4. cap. 8. & lib. 2. contra Appionem; ita Philo de caritate; ita etiamnum intelligunt & obſervant Judæi omnes, licèt lucri cupidiſſimi ſint & chriſtianos gravibus uſuris premere ſibi licitum exiſtiment. Ita Calvinus ipſe ejuſque ſectator Salmaſius de uſuris cap. 20. ubi hæc acutè graviterque animadvertit, quæ quàm ſapiens ac neceſſaria ſit uſuræ cujuſlibet prohibitio mirificè oſtendunt. „ Ab omnibus ſanè, inquit, accipi uſuram omnibus fuit „ vetan-

Digitized by Google

„ vetandum, ut tanto magis ab indigente non acciperetur : ſi enim à ſolo
„ indigente eam peti lex prohibuiſſet, ſemper ea difficultas recurriſſet, quis
„ indigens eſſet intelligendus. Avaritia fœneratorum neminem facilè paſſa eſſet eo nomine cenſeri. Nemo certè indigens viſus fuiſſet ei qui pecuniam dediſſet mutuam, ut uſuras liceret accipere.

Et verò id vetatur erga Iſraëlitas quod erga alienigenas licitum fuiſſe volunt, qui hanc objectionem proponunt. Porrò credunt ne licitum fuiſſe Hebræo pauperes alienigenas uſuris opprimere ? Nunquid ibi moderatione, æquitate, eâ quæ omnibus debetur miſericordiâ & juſtitiâ utendum fuiſſe concedent ? Igitur neceſſe eſt ut fateantur Hebræo ab Hebræis, quicumque illi fuerint, nullam uſuram exigere licuiſſe.

VIII. Neque eſt quod opponant hæc quæ Deuteronomii xxiij. leguntur verba : *Fratri tuo abſque uſura* ID QUO INDIGET *commodabis*. Primùm enim admonendi ſunt hæc *id quo indiget* non extare, neque in textu Hebræo, neque in Paraphraſi Chaldaica, neque in verſione Septuaginta, neque in Syriaca, Arabica vel Perſica. Deinde ab Hieronymo à quo addita ſunt, ita intellecta eſſe extra omne dubium eſt, ut ſignificarent tantum eam indigentiam quæ in quocumque mutuante reperitur, poteſtque cum magnis divitiis conjuncta conſiſtere, non eam quæ pauperum propria eſt.

IX. Altera obſervatio eſt ex eo quod generatim prohibitum fuerit Hebræo ab Hebræis uſuram qualemcumque exigere, ſequi caſus propoſiti reſolutionem. Si enim chriſtiano unuſquiſque proximus eſt, ſi chriſtiani omnes inter ſe fratres ſunt, quomodo chriſtiano erga chriſtianum licitum erit quod Judæo erga Judæum nefas fuit, atque hodiedum eſſe à Synagogæ filiis quantumvis excæcatis agnoſcitur ?

X. Neque noſtra hæc ratiocinatio eſt, ſed Ambroſii, ſed Tertulliani, ſed Hieronymi, ſed eruditi cujuſque Theologi, atque etiam Grotii.
„ Frater tuus, inquit, S. Ambroſius de Tobia cap. 14. omnis fidei primùm,
„ deinde Romani juris eſt populus. . . . noli ab eo exigere amplius, à quo
„ durum eſt repetere quod dederis, niſi cùm habuerit unde ſolvat. "

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. „ Creator & ſecundùm naturæ
„ ordinem, primum in proximos docuit benignitatem, emiſſurus eam po-
„ ſtea & in extraneos, & ſecundùm rationem diſpoſitionis ſuæ primò in
„ Judæos, poſtea & in omne hominum genus. Ideoque quandiu intra
„ Iſraëlem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam man-
„ dabat. At ubi Chriſtus dedit Gentes hæreditatem & poſſeſſionem termi-
„ nos terræ, & cæpit expungi quod dictum eſt per Oſee : Non populus
„ meus populus meus. . . . Exinde Chriſtus in omnes legem paternæ beni-
„ gnitatis extendit, neminem excipiens à miſeratione, ſicut in vocatione."

Hieronymus in cap. xviij. Ezechielis. „ Vide profectum : in principio le-
„ gis à fratribus tantum fœnus tollitur, in Propheta ab omnibus uſura pro-
„ hibetur, &c.

Grotius de jure belli & pacis lib 2. cap. 12. n. 20. „ Sufficere nobis
„ debet lex à Deo Hebræis data, quæ vetat Hebræos Hebræis dare fœ-

„ nori. . . .

„ nori.... Quæ tunc officia homini Hebræo... præſtari jubentur, ea nunc „ præſtanda ſunt homini cuivis.

Hinc colligebat S. Chryſoſtomus homil. 4. in Geneſim, uſurarios non modò non chriſtianos, ſed ne bonos quidem Judæos eſſe. „Qua igi„ tur excuſatione, inquiebat, digni erunt, qui Judæis ſunt inhumaniores, „ & poſt gratiam & tantam à Domino miſericordiam inveniuntur iis qui „ ſub lege fuerunt inferiores, imò pejores!

Igitur ex iis ipſis Scripturæ locis in quibus hodie collocatur fundamentum ſolidiſſimum opinionis uſuram permittentis, longè ſolidius arguebant ſancti Doctores turpiſſimum eſſe ac deteſtandum inter chriſtianos id commercii genus.

XI. Neque magis favebit uſurariis hodiernis ea pars legis quæ uſurarum ab alienigenis exactionem aut permittere, aut etiam præcipere in ea quam refellimus objectione ſupponitur: ſed quoniam videntur nonnulli in ea legis permiſſione plurimum confidere, præſtat eam ſeparatim expendi.

II. Objectio.

Si uſura eſſet injuſta, eam Deus non permitteret erga alienigenas, ut permittit, imò Præcipit dicens Deut. xxiij. 19. 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno.*

Responsio.

I. Hoc primum obſervandum eſt, neminem ante hanc diem ibi repeririſſe præceptum uſuræ ab alienigenis exigendæ; neque verò ſine maxima abſurditate fingi poteſt prohibuiſſe Deum ne extraneo quem proximi loco habendum fuiſſe docet Samaritani parabola Lucæ x. vel mutuum ſine ſpe acceſſionis ad ſortem, vel etiam gratis id dono daretur quo indigebat: eſt igitur certiſſimum permitti ad ſummum, non imperari uſuræ exactionem.

II. Deinde non minus certum eſt eam permiſſionem in conſequentiam trahi non poſſe ab homine chriſtiano, cui nemo extraneus, multò minùs ſi civi, ſi homini ejuſdem religionis vel nationis mutuum dederit.

III. At enim, inquiet aliquis, ſaltem ſequitur uſuram de ſe non eſſe prohibitam jure naturæ. Etſi id conſequeretur, quid hoc ad ſolvendam propoſitam quæſtionem valeret, ubi conſtat ſaltem poſitivâ lege divinâ eam eſſe prohibitam? *Sed forte dices*, inquit S. Ambroſius, *quia ſcriptum eſt: alienigena fœnerabis, & non conſideras quid Evangelium dicat, quod eſt plenius.* De Tobia cap. 14.

IV. Sed ne hoc quidem ſequitur, nam quædam ſunt quæ ſecundariis legis naturalis præceptis ita prohibentur, ut aliquo in caſu emendata ſeu compenſata inordinatione, & accedente legitima diſpenſatione, licita fieri poſſint, quæ tamen ſi quis extra has circumſtantias fecerit, reus tene-

tenebitur violatæ legis naturæ. Sic repugnat legi naturali plures ſimul uxores habere, ſic propriam ſororem in uxorem ducere: unde ſi poſtremum Adami filiis licuit, ſi primum Abrahamo aut etiam Judæis, non propterea idem poſſit chriſtianus, aut infidelis ſine legis naturalis tranſgreſſione. Quid ergo ſi hujuſmodi uſura ſit, an idcirco licebit chriſtiano eam exercere, quia in odium infidelium nationum, & gentis dilectæ commodum eam aliquando Deus ex diſpenſatione permiſerit?

V. Quid ſi ibi uſura non fuit, quia non vi mutui, ſed ejus occaſione Deo placuit Dominium ſuperabundantiæ ab infidelibus in Judæos tranſferre, quemadmodum furtum non fuit cùm vaſa Ægyptiorum Iſraëlitis dedit, ut Sapientiæ x. 17. inſinuatur, an inde magis licebit ad uſuram dare quàm vaſa à vicinis mutuata ipſis invitis furto retinere & auferre?

VI. Quid ſi dicamus cum B. Ambroſio hanc uſuras exigendi licentiam eos ſolos ſpectare qui ab Iſraëlitis exterminari juſſi fuerant? *Sed hoc interim ſequeſtremus*, inquit poſt citata verba S. Doctor: *legis ipſius verba conſidera.* Fratri tuo, *inquit*, non fœnerabis ad uſuram, ſed alienigenæ. *Quis erat tunc alienigena*, cui nimirum mutuum dare poſſet Hebræus, *niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtis? Ibi* inquit (hoc audiant qui uſuras ſine juſtitiæ aut caritatis detrimento exigere ſe poſſe exiſtimant.) *Ibi uſuram exige, cui meritò nocere deſideras... ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere.*

VII. Non multum ab hoc ſenſu alludit explicatio Caroli Molinæi, quem plurimi faciunt patroni omnes uſuræ moderatæ. Quod dicit, inquit de uſuris num. 9. *alienum mordebis*, „ mihi nec præcipere, nec permittere „ videtur, ſed hoc innuere & ſignificare, quod ſi quem uſuris opprimas, „ jam non tractas ut fratrem, nec officium proximo debitum impendis, „ ſed pro extraneo habes, vel pro hoſte.

VIII. Denique communis & noſtro judicio optima omnium ſolutio, illa eſt qua utitur S. Thomas 2. 2. q. 78. a. I. Quærit utrùm accipere uſuram pro pecunia mutuata ſit peccatum, ac reſolvit. " Secundùm ſe eſſe il„ licitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur uſura. Et veniens ad propoſitæ objectionis ſolutionem. „ Ad ſecundum, inquit, „ dicendum, quod Judæis prohibitum fuit accipere uſuram à fratribus ſuis, „ ſcilicet Judæis, per quod datur intelligi, quod accipere uſuram à quo„ cumque homine, eſt ſimpliciter malum. Debemus enim omnem ho„ minem habere quaſi proximum & fratrem, præcipuè in ſtatu Evangelii, „ ad quod omnes vocantur. Unde in Pſalmo XIV. abſolutè dicitur: Qui „ pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Et Ezechielis xvij. Qui uſuram „ non accipit. Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, NON FUIT „ EIS CONCESSUM QUASI LICITUM, ſed permiſſum ad majus ma„ lum vitandum, ne ſcilicet à Judæis Deum colentibus uſuras acciperent „ propter avaritiam cui dediti erant, ut habetur Iſaiæ LVI.

IX. Quid, rogo, expreſſius deſiderare poſſunt qui abutuntur hoc Deuteronomii teſtimonio; quove modo ipſos non pudet recoquere arma à ſanctis

Digitized by Google

ctis Doctoribus, jam pridem non unâ, ſed multiplici reſponſione contrita? Hinc ſaltem intelligant in alia plane ſententia ſe eſſe, ac fuerunt ſæculis omnibus Patres ac Theologi, quòd ne unam quidem objectionem proponere poſſint, quam non oppoſuerint olim uſuræ patroni, & reſolverint ſanctiſſimi divinæ legis interpretes ac vindices.

III. Objectio.

Illud Deus non toleravit, ſed approbavit quod in præmium promiſit ac conceſſit ſuæ legis obſervatoribus; porrò hujuſmodi eſt uſura: nam Deuteronomii xv. 6. & xxviij. 12. dicitur: *Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.*

Responsio.

I. Reſpondet S. Thomas loco ſupra citato. " Quod autem in præmium
,, promittitur: fœnerabis gentibus multis, &c. Fœnus ibi largè accipitur
,, pro mutuo, ſicut Eccli. xxix. 10. dicitur: multi non cauſa nequitiæ
,, non fœnerati ſunt, id eſt, non mutuaverunt. Promittitur ergo in præ-
,, mium Judæis abundantia divitiarum, ex qua contingit quod aliis mu-
,, tuare poſſint.

II. Solidiſſima eſt hæc S. Thomæ ſolutio, textu primigenio, & antiquis omnibus verſionibus confirmata: ſic enim utroque loco habet textus tam Hebræus quàm Samaritanus. *Et mutuabis gentibus multis.* Deuter. xv. 6. *Taabatta* ab *Abat*, mutuo dare, accepto pignore, & xxviij. 12. *Hilvita* à *Lavah* mutuari. Sic paraphraſis Chaldaica, & verſiones tum Arabica, tum Syriaca. Nec alio ſenſu accipienda eſt interpretatio LXX. reddentium: δανειεῖς ἔθνεσι πολλοῖς aut Hieronymi vertentis, *fœnerabis gentibus multis*; fœnerari enim & δανείζειν ſæpe mutuum ſine uſura ſignificant, ut ex plurimis locis manifeſtum eſt, maximè Eccleſiaſtici xxix. 1. & 2. ὁ ποιῶν ἔλεος δανειεῖ τῷ πλησίον... Δάνεισον τῷ πλησίον ἐν καιρῷ χρείας αὐτοῦ. *Qui facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo.... Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius.* Et verò δανείζω eſt ἀπὸ τοῦ δάνος quod donum ſignificat, unde nihil mirum eſt ſi gratuitum mutuum indicat. Atque hæc ideo obſervanda credidimus, ne quis ſuſpicaretur S. Thomam ex linguarum imperitia lapſum fuiſſe, aut eam interpretationem arripuiſſe quæ ſibi faveret, non quæ veritate niteretur. Optima Scripturæ interpres eſt ſana Theologia ad regulam Traditionis efformata, à qua qui recedunt & fontes ipſos conſuli volunt, ex fontibus ut ex Traditione confutantur.

III. Sanctus Ambroſius in Pſalmum xxxvj. Deuterononii textum intelligit non de fœneratione pecuniæ, ſed de fœneratione gratiæ; unde magis ac magis apparet quàm alieni fuerint & Patres & Theologi à perverſa iſta Scripturæ interpretatione, quâ uſura commendatur ut virtutis præmium, ut quicunque ſuper hoc fundamentum ſententiam ſuam ſuperſtruit,

Digitized by Google

ſtruit ſuper arenam, non ſuper firmam petram ædificans; ruinam magnam timere debeat.

IV. Objectio.

Si uſuram toleraſſet ſolùm lex Moſaïca, lex verò naturalis aut Evangelica reprobaſſet, idem circa uſuram feciſſet Chriſtus, quod circa polygamiam & divortium, quod circa talionem, & odium inimicorum. Legis tolerantiam ſuſtuliſſet & imperfectionem, & omne ex mutuo lucrum prohibuiſſet, inquiens; *Ego autem dico vobis.* Porrò non ita ſe geſſit circa uſuram: nihil legi addidit, non ipſius indulgentiam correxit, non perverſam ſcribarum intelligentiam, quaſi quod toleratum erat, licitum immeritò crediḋiſſent. Quod enim ex ſexto capite S. Lucæ citatur, tam evidens eſt lucrativo mutuo contrarium non eſſe, ut mirum ſit contra hanc praxim proferri. Certè cùm Chriſtus Dominus v. 35. ait, *diligite inimicos veſtros, benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes*, non magis condemnat eos, qui mutuum dant, aliquid inde percipientes aut ſperantes, quàm qui diligunt amicos, aut benefaciunt, his à quibus ſperant æqualia beneficia recipere.

Responsio.

I. Uſuram omnem à Chriſto Lucæ vj. prohiberi, aut certè prohibitam ſupponi, & aliquid majoris perfectionis ab ipſo requiri quàm ut ſine ſpe lucri ſeu auctarii mutuum demus, Eccleſia tota ſemper intellexit. Ita Concilium Carthagin. I. can. 13. Pariſienſe vj. can. 53. Lateranenſe II. ſub Innocentio II. can. 13. Lateran. III. ſub Alexandro III. can. 25. Concilium Avenionenſe can. 3. Albienſe can. 62. Senonenſe can. 2. Mediolanenſe I. cap. de uſuris. Remenſe ultimum cap. de fœnore. Burdigalenſe cap. 31. Toloſanum cap. 14. Conventus Melodunenſis cap. de uſuris.

Ita ſummi Pontifices Alexander III. cap. *ſuper eo* extra de uſuris, Urbanus III. cap. *conſuluit*, Innocentius III. ad Epiſcopos Galliæ. Ita vetuſtiſſimi ac ſanctiſſimi Patres, & uno conſenſu Theologi. Qui in Evangelio non videt, quod videt Eccleſia, dicemus ne eſſe oculatiorem, an proprio judicio nimium tribuere & ipſa temeritate excæcari? Ac re quidem ipſa poſſetne quiſquam, niſi ſua cum præjudicata opinio abriperet, ex dictis Chriſti mutui ad lucrandum dati approbationem colligere?

II. Quidni? inquient; ita exigit Chriſtus ut mutuum demus nihil inde ſperantes, quemadmodum ut diligamus inimicos & caritatis officia præſtemus iis à quibus ſimilia recepturos nos non exiſtimamus. Sicut ergo præcipiendo dilectionem inimicorum non culpat amicorum dilectionem, ita jubendo mutuum ſine ſpe lucri dari, ubi ſcilicet & quando id caritas poſtulat, non reprehendit eos qui mutuum propter lucrum dederint, ubi id ſine mutuatarii incommodo fieri poteſt. Mutuum ex ſpe lucrandi commune

Digitized by Google

eſt gentili & chriſtiano, nec vituperatur, ſed negatur ſufficere ad perfectionem, niſi gratis etiam, ubi oportet, mutuo proximum ſublevemus.

III. Non conquerentur, ut arbitramur, objectionis autores, eam à nobis referendo fuiſſe enervatam. Jam videmus habeatne aliquid ſolidi. In eo tota ejus vis, ſi quam habet, conſiſtit quod videatur Chriſtus ſupponere in his quos ad caritatem informat, ut amicorum dilectionem, ita mutuum cum lucri ſeu auctarii pactione, & de utraque conſuetudine eodem modo judicare: id autem falſiſſimum eſſe ex ipſo textu evidenter apparet. *Si diligitis*, inquit Chriſtus Lucæ VI. 32. 33. 34. 35. *eos qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Et ſi benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? Si quidem & peccatores hoc faciunt. Et ſi mutuum dederitis his à quibus* SPERATIS RECIPERE, *quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur* UT RECIPIANT ÆQUALIA. *Verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite & mutuum date* NIHIL INDE SPERANTES, *& erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.*

IV. Manifeſtum eſt illud quod Chriſtus bonum in ſe ſupponit & tamen, ſi ſolum fiat, nec ſufficiens ad juſtitiam, nec intentione purum eſſe declarat, quia in peccatoribus reperitur, non eſſe mutuum cum auctarii pactione, ſed mutuum ex ſpe recipiendi æqualia: hoc mutuandi officium cum amicorum dilectione, cum beneficio reddituris hominibus præſtito comparat, non uſuram quæ non humanitatis officium eſt, ut amicorum dilectio; ſed ſi Patres, ſi Scripturam, ſi rationem ipſam audiamus, inhumanitatis & injuſtitiæ vitium continet.

V. Jam verò diſceptant interpretes quid ſit aliquem mutuum dare, quia ſperat recepturum ſe ÆQUALIA τὰ ἴσα ſit ne non aliis mutuum dare, quàm iis qui ſummam ſimilem ſine dubitatione redditurí ſupponuntur, an ideò mutuum dare alicui pecunia noſtra ad opes ſuas conſervandas, augendaſve indigenti, ut ille viciſſim indigentibus nobis ſimile exhibeat gratuitæ mutuationis officium.

VI. Priori ſenſu Chriſti verba accepêre Patres antiquiſſimi. Tertullianus contra Marcionem lib. 4. c. 17. " Prius fuit ut fructum fœnoris eradica-
" ret (Deus.) Deut. xxiij. Pſal. xiv. Ezechielis xviij. & xxij. quo faci-
" lius aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori perdendo, (id eſt ſum-
" mæ capitali non recipiendæ, (ſi forte cujus fructum didiciſſet amittere.
" Hanc etenim dicimus operam legis fuiſſe procurantis Evangelio. Quo-
" rumdam tunc fidem paulatim ad perfectum diſciplinæ chriſtianæ nito-
" rem primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis infor-
" mabat.

Igitur hic primus ſecundùm Tertullianum balbutientis benignitatis gradus eſt, ut mutuum detur ſine lucro, idque lex primis præceptis imperavit: is chriſtianæ diſciplinæ nitor, ut indigenti mutuum demus: etiamſi non ſperemus ſortem redditum iri; atque hoc Chriſtus in Evangelio præſcribit.

Eodem ſenſu Chriſti verba accepit S. Baſilius homilia 2. in Pſalmum

XIV.

XIV. *mutuum date iis à quibus accipere minimè ſperatis.* Et quale, inquis,
„ hoc mutuum, cui non reddendi ſpes conjuncta eſt? Intellige dicti ef-
„ ficacem vim, & legiſlatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi
„ daturus es in Domini gratiam, idem ipſum & donum & fœnus eſt. Do-
„ num quidem quod à paupere non ſperes te recepturum, mutuum verò
„ ſive fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, quia
„ parva quidem per pauperem cùm acceperit, maxima pro ipſis retribuet
„ .... Da argentum domi tuæ nullo tuo uſui conditum, nulla ipſum gra-
„ vando acceſſione... Tibi imprimis ſecuritas aderit cuſtodiæ, accipienti
„ verò ex uſu lucrum.

Similiter Hieronymus in cap. xviij. Ezechielis. „ Vide profectum. In
„ principio legis à fratribus tantùm fœnus tollitur: in Propheta ab omni-
„ bus uſura prohibetur... Porrò in Evangelio virtutis augmentum eſt,
„ PRÆCIPIENTE Domino: *fœneramini his à quibus non ſperatis recipere.*

In eundem ſenſum S. Ambroſius cap. 2. de Tobia. „ Da pecuniam,
„ ſi habes; proſit alii quæ tibi otioſa eſt. DA QUASI NON RECEP-
TURUS, ut lucro cedat ſi reddita fuerit. Et Epiſtola ad Vigilium qui ad
Tridentinæ civitatis Epiſcopatum erat electus. „ Chriſtianus, ſi habet, det
„ pecuniam quaſi non recepturus, aut certè ſortem quam dedit recepturus.

VII. Nempe ſicut jubetur chriſtianus tùm dare eleemoſynam, cùm &
poteſt dare, & proximus indiget, ita tenetur mutuum dare, ubi & mutua-
ta pecunia proximo opus eſt, & ipſe eâ ad tempus carere poteſt. Æquè
obnoxius eſt pœnæ qui non dat mutuum, & qui dat ſub conditione uſuræ,
inquit S. Gregorius Nyſſenus, Orat. contra uſurarios. Deinde tenetur ali-
quando ita dare mutuum ut ſpeciale periculum incurrat nunquam reci-
piendæ ſortis, imò ubi nulla ſpes eſt moraliter loquendo illius recipiendæ,
neque tamen tunc propriè donatio eſt, quia remanet in mutuatario obli-
gatio reddendi, ſi poterit, & mutuanti jus tunc repetendi. Tertio quo-
cunque modo datum mutuum fuerit, non eſt nimis urgendus creditor ad
reddendum, quando non defectu voluntatis, ſed poteſtatis ſolvendo non
eſt, nec poteſt ſine maximo ſuo incommodo reddere quo nos facilius quam
ipſe carere poſſumus. Propterea Judæos ipſos Iſaiæ LVIIJ. 3. Deus in-
crepat, quod omnes debitores ſuos repetant, & auctor ſermonis qui Au-
guſtino olim attributus nunc in appendice habetur homil. 48. inter. 50.
nunc ſerm. 86. App. n. 4., ſic chriſtianum alloquitur. „ Deus tibi
„ audi quod dicat. Quid? Vis fœnerare, minus dare, & plus accipere?
„ Tua mihi da, dicit Dominus. Ego accipio minus, & dabo plus. Quando
„ quæris unde creſcat pecunia, hominem quæris, qui quando accipit gau-
„ det, quando reddit plangit; ut accipiat precatur, ne reddat calumniatur.
„ Da quidem homini, & noli avertere faciem tuam ab eo qui mutuo petit,
„ SED ACCIPE QUANTUM DEDISTI; nam & beneficium perdidiſti, ſi
„ & hoc ipſum quod daturus es exigatur. Fortè ad manum non habet un-
„ de reddat: pertuliſti petentem, expecta non habentem. Noli clamare &
„ dicere NUMQUID FOENUS QUÆRO? TANTUM PETO QUAN-

 TUM

Digitized by Google

TUM DEDI: hoc recipiam, non es mentitus, verum dicis, NON ES „ FOENERATOR, ET VIS CUI DEDISTI QUÆRAT FOENERA- „ TOREM UT TIBI REDDAT. Sed ſi propterea fœnus non exigis, ne „ te fœneratorem judicet Deus, premis, ſuffocas, exigis, ſi tantùm exi- „ gis quantùm dediſti, ſuffocando tamen & in anguſtiis retinendo bene- „ ficium non præſtitiſti, ſed majores anguſtias intuliſti. Sed fortè dicis: ha- „ bet unde reddere poſſit: habet poſſeſſionem, vendat; habet domum, „ vendat, habet familiam, id eſt ſervos, vendat. Frater tuus quando à te „ petiit, ideò à te petiit ne venderet, propterea non faciat, quia ſubveniſti „ ne fieret. Hoc vult Deus, *hoc jubet Deus.*

VIII. Qui hæc moralis chriſtianæ principia imbiberit, ille nihil mirabitur Chriſtum qui vult & inimicos diligi & ingratos beneficiis affici, hoc quoque à ſuis exigere, ut, cùm poſſunt, & oportet, mutuum dent *nihil inde ſperantes*, hoc eſt ne id quidem exigentes, ut ſibi recuperandæ ſortis ſpes adſit certa aut etiam probabilis.

IX. Alia interpretatio eſt, eos Chriſtum culpare qui non alio animo mutuum dant, quam ut ſibi ſimile vel æquivalens officium rependatur, alioqui non daturi, quod cum hominis ſit non proximum, ſed ſe ſolum amantis, indignum eſt chriſtiano, & caritati, quæ *non quærit quæ ſua ſunt, ſed ea quæ aliorum* 1. Cor. xiij. 5. Philipp. II. 4. Ac fatendum eſt hoc inprimis Chriſti propoſito & adjunctis aliis exemplis congruere. Nefas non eſt, imò oportet & amicum diligi, & homines non ingratos beneficiis ornari, & eos qui par pari referre amant mutuo dato adjuvari: ſed ſicut vituperandus eſt qui ſolos amicos diligit, aut qui ſolos grati animi homines beneficiis afficit, ita culpandus, & chriſtiano is nomine indignus, qui licet gratis mutuum dare videatur, eâ tantùm cauſâ, atque intentione dat ut ſibi viciſſim idem fiat. Alienum hoc à caritate, alienum, ſi S. Thomam 2. 2. q. 78. a. 2. audiamus, à juſtitia, quia hæc rei mutuatæ redditione contenta eſt, quâ æqualitas conſervatur, neque quidquam ultra exigi patitur quod ſit pretio æſtimabile. Peccat contra juſtitiam mercator qui ea ſpe vel pactione dat mutuum, ut apud ſe & non alibi merces emat mutuatarius; peccat piſtor, ſi ea lege ut apud ſe panes coquantur; peccat unuſquiſque ſi cum eo pacto, ut ſibi cum indigebit mutua detur pecunia, quia etſi hoc præſtare ex gratitudine debeat mutuatarius, ex juſtitia exigi non poteſt.

X. Jam facilè intelligitur quo ſenſu dicat Chriſtus *mutuum date nihil inde ſperantes*, id eſt nulla commodi veſtri habitâ ratione, non lucrandi cauſâ, non ea ſpe, fore ut beneficii memor mutuatarius munuſcula offerat, non ad acquirendum jus ſimilis beneficii exigendi, non ea intentione ſaltem primario determinante: ſi enim ideò mutuum dederis, non dico ut plus recipias, quod manifeſtæ uſuræ eſt, ſed vel ut ſimile beneficium recipias, alioqui proximo per mutuum non ſubventurus, nihil habes, quo à peccatoribus diſtinguaris; *nam & peccatores peccatoribus foenerantur ut recipiant æqualia.*

XI.

XI. Quantum hæc cum omni uſura pugnent non eſt opus pluribus exponere. Si enim ideò mutuum dari prohibet Chriſtus, ut ſimili benificio afficiamur, quia proximi ſublevandi non noſtri commodi cauſa dandum eſt mutuum, quis non videt quantò atrocius contra hoc præceptum peccet qui auctarium exigit, quam qui recepturus quod dedit ſimilis præterea beneficii vices expectat, eaque ſpe inducitur, alioqui mutuum non daturus. Si verò etiam cum ſummo ſortis periculo dari ibi præcipit Dominus, quod certè aliquando præcepti eſt, ſi turpe eſt chriſtiano æquari peccatoribus qui fœnerantur, ut æqualia id eſt ſortem ipſam recipiant, quantò turpiùs à peccatoribus ſuperari, coæquari fœneratoribus in quos, tot & tanta maledicta leges omnes conjiciunt, & ideò mutuum dare ut plus recipiatur quam datum eſt?

XII. Hinc Salmaſius ipſe de uſuris cap. 20. v. " Certè ut apud Lucam conceptа ſunt Dominici præcepti verba, longè etiam magis uſurariorum latus „ tranſverberant: nam qui de perdenda crediti ſumma laborare vetatur; „ quis credat ei concedi pactiones pro credito uſurarias facere? „ Illud quidem certum eſt Dominum non de alio mutuo loqui quàm quod Judæis permiſſum lege fuit Judæo daturis mutuum. Cui præcepto ad pleniorem diſciplinæ perfectionem hoc de ſuo velut auctuarium menſuræ addidit, ut etiam non reddituris τὰ ἴσα *æqualia*, mutuum credatur, quomodo & aliis firmandis, ut diſtrictior eorum eſſet obſervatio, majori ea ſeveritate conſtrinxit.

XIII. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 1. ad 4. „ dicendum quod „ dare mutuum *non ſemper* tenetur homo, & ideò quantùm ad hoc ponitur „ inter conſilia: ſed quòd homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit „ ſub ratione præcepti.

Hinc Toſtatus in cap. xxv. Matt. q. 167. „ Dare mutuum interdum eſt „ concilium, interdum præceptum: non ſperare aliquid ex mutuo ſemper „ eſt præceptum.

XIV. Eo igitur modò Chriſti Domini verba accipi ſuadet, tam ipſa contextus ſeries, quàm conſtans Traditio, ut præceptum contineant illudque multiplex, & omnibus ſuis partibus uſuræ oppoſitum.

Ac primùm quidem præceptum continent, docent enim quid ſit faciendum ut Altiſſimi filii ſimus, ſi autem non filii, quòd abſit, nec hæredes.

Deinde continent præceptum multiplex: primùm ut demus indigenti mutuum pro ut poſſumus, tùm ut ſine lucro nec pluſquam æqualia recepturi: poſteà, ut etiam ſine ſpe lucri, quippe Chriſtus non manus ſolùm cohibet, ſed animum quoque vult ab injuſtitia eſſe alienum: prætereà ut non determinemur ad dandum mutuum ſpe paris beneficii aliquandò reddendi. Denique, ut etiam tùm aliquandò detur, cùm ne ſortis quidem recipiendæ ſecuritas adeſt, imò interdum ubi ne ſpes quidem probabilis affulget.

V. Ob-

V. Objectio.

Matthæi xxv. 27. videtur Chriſtus approbare uſum nummulariis pecuniam tradendi, illamque cum uſuris exigendi, nam infidelem ſeu inutilem ſervum ita alloquitur. *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.* Idem habetur. Luc. xix. 23.

Responsio.

I. In hoc attendite fratres, inquit S. Auguſtinus in Pſalmum lvij. n. 7. „ Non undecumque datur ſimilitudo, ab Scripturis laudatur ipſa res, „ ſed tantùm inde ſimilitudo trahitur. Non enim laudavit iniquum „ judicem, qui nolebat audire illam viduam, & nec Deum timebat, nec „ homines reverebatur; & tamen inde ſimilitudinem Dominus traxit. Idem dicendum de villico iniquitatis, qui, ut ſibi proſpiceret, fraudem facit Domino, cujus exemplo invitamur, Luc. xvj. 8. ut prudentes ſimus. non ut injuſti & fraudulenti. Ita planè in ea de qua agitur parabola admonemur tanto ſtudio ex donis Dei fructum ſpiritualem percipere, quanto avari ex pecuniis lucra comparant, ne ab uſuris quidem abſtinendo.

II. In hunc ſenſum S. Thomas 2. 2. q 78. a. 1 ad 1. ubi hanc ſibi objectionem proponit & reſolvit. „ Ad primum ergo dicendum, inquit, quod „ uſura iſti metaphoricè accipitur pro ſuperexcreſſentia bonorum ſpiritua- „ lium, quam exiget Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo ſemper pro- „ ficiamus, quod eſt ad utilitatem noſtram, non ejus.

III. Non abſimiliter S. Ambroſius de Tobia cap. 19. *Ego veniens utique cum uſuris exegiſſem illam.* „ Audiſtis quæ pecunia boni fœneratoris ſit, „ quæ pecunia bonas acquirat uſuras, quæ pecunia non infamet fœnera- „ torem, non opprimat debitorem. Nempè vult intelligi gratiam Domini ſpiritualem.

IV. Ipſi Calviniani in Bibliis Genevæ editis anno 1557. Ad hunc locum ea annotant quibus confundi poſſunt Catholici uſuræ patroni. „ Il ne „ faut pas conclure de ce paſſage, que le Seigneur veuille approuver les „ uſures, mais il prétend ôter toute matiere d'excuſe, à ceux qui ſont ne- „ gligens d'employer les dons, les graces & les biensfaits qu'ils ont reçus „ de lui. Idem annotatur in Bibliis Dordracenis ad Luc. xix. 23.

V. Addi poteſt bonos ſervos qui in parabola laudantur non uſuris Domini ſui pecunias auxiſſe, ſed utili negotiatione, quâ, qui quinque talenta acceperat, ſuperlucratus eſt alia quinque; qui duo, alia duo; at ſervo malo & pigro reſpondetur ſecundùm ſtultitiam ſuam. Dominum ille accuſabat quaſi durum & avarum, qui ibi meteret ubi non ſeminaverat, & congregaret ubi non ſparſerat. Non fatetur ſe talem eſſe Dominus verè juſtus, ſed ſervum malum ex proprio ore judicans, *oportuit ergo*, inquit, *te committere*

tere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego, recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. Ita planè eſt: qui durus & avarus metit ubi non ſeminavit, cum pecunia ſua aufert & uſuram quæ ſua non eſt, ipſi dicit Baſilius ad finem homiliæ 2. in Pſalmum XIV. *Sine terra plantas, ſine ſatione metis*: ſed abſit ut ita ſe gerat Chriſtianus, quem & juſtum eſſe oportet & humanum & miſericordem. Audiat potiùs S. Doctorem ibidem ita admonentem. „ A volente accipere mutuò ne vultum avertas, nec „ pecuniam tuam dederis ad uſuram, ut tam ex veteri quam novâ lege quæ „ conducibilia ſunt edoctus, bonâ cum ſpe ad dominum hinc emigres, „ bonorum factorum uſuras accepturus.

VI. Objectio.

Specioſa quidem ſunt Patrum teſtimonia quæ contra lucrum ex mutuo, quolibet proferuntur, ſed eos ſolos decipiunt qui ad fontes non recurrunt, nec temporum & rerum circumſtantias conſiderant. Non ſunt uniformes diverſorum Patrum vel Patris ejuſdem diverſis in locis contra uſuram invectivæ. Injuſtititiam, crudelitatem, avaritiam, pravum rei uſuris acquiſitæ uſum condemnant, non lucrum ex mutuo, ubi nihil horum vitiorum includit: certè iidem Patres negotiationem non minùs quàm uſuram culpant; neque tamen quiſquam dixerit illicitum eſſe omne commercium.

Responsio.

I. Neſcimus quo pacto, ſi ad fontes recurrerimus in expendendis ſanctorum Patrum teſtimoniis, appareat eos non omnem uſuram culpare. Deteſtantur uſuram, fœnus, τόκον πλεονασμὸν, & quidquid exigitur ultra ſortem.

Circumſtantias qui attenderit, videbit Patres etiam tùm uſuram arguere, ubi à negotiatoribus exigitur, ubi utilis eſt mutuatario pecunia, aut ſeges ad uſuram data. Quod ſi Patres acriùs invehuntur in oppreſſores pauperum, in eos qui uſuras multiplicant, qui inſidiantur luxurioſis hominibus, aut debitori qui à creditoribus urgetur, ut tandem eorum patrimonium invadant, non propterea moderatiores uſurarios excuſant, quemadmodum fornicatores non excuſat qui graviùs reprehendit adulteros. Illos omnes ſine exceptione Concilia prævaricationis arguunt, qui pecuniam ſuam dant ad uſuram, ſeu qui cùm lucri pactione, vel ex lucri ſpe dant mutuum. Tandiu credemus & uniformes inter ſe & conſtantes eſſe SS. Doctores & Pontifices in reprehendenda uſura, donec unus ſaltem proferatur, qui aliis omnibus contradicat: nullum protulit Launoïus, nullum Auctor libri cui titulus *de la pratique des billets*, in quo hac obſervatione digniſſimum eſt omnes Scripturas, Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum textus objectiones eſſe quas ſibi refellendas Auctor proponit, neque aliter ſolvit quàm ex proprio ſuo ratiocinio, & falſo quod nulla auctoritate ſtabilit principio.

II.

Digitized by Google

II. Quatuor itaque in iis quæ Concilia & Patres circa uſuram docuerunt, diligenter obſervanda ſunt. 1°. Generaliter uſuram omnem, omne ex mutuo lucrum conſtanter ab iis improbari. 2°. Re vera quidem acriùs propter majorem criminis enormitatem invehi in eos qui pauperes uſuris opprimunt. 3°. Plures tamen Patres etiam uſuram erga divites aut negotiatores expreſsè damnare. 4°. Ne vel unum reperiri aut produci poſſe, qui uſuram qualemcumque etiam minimam à divitibus exigi licere aſſeruerit. Ita ut immeritò, propter ea quæ in oppreſſores pauperum acriùs dicta ſunt, ideò moderatioris uſuræ exactores debeant excuſari.

III. Sed, inquies, id ſolum Patres reprehendunt quod injuſtum eſt, ergo innoxios judicarent contractus noſtros in quibus nihil injuſtum eſt. Ita ſanè, ſi nihil ſit in iis ſecundùm Patres injuſtum: at ſi Patrum judicio injuſtum ſemper eſt minùs dare mutuando & plus accipere velle; patrum concordiſſimæ auctoritati, cui cedendum eſt, non reſiſtendum, reſiſtit quicunque, quod illi injuſtum uno omnes ore edocuerunt, audet juſtum credere.

IV. Erit ne igitur reprobandum commercium, nam illud Patres tam generaliter reprobare dicuntur, quàm uſuram? Non erit reprobandum, ſed cum magna cautione exercendum, quia illud Patres non illicitum, ſed injuſtitiæ, fraudum, & avaritiæ periculis plenum eſſe tradiderunt. Ejus rei teſtis eſt S. Auguſtinus in Pſalmum LXX. ad verſum 15. ubi legebat antiqua verſio. *Quoniam non cognovi negotiationes.* Hoc loco utitur ut eos deterreat à negotiatione, quibus proxima peccandi occaſio erat. „ Audiant, „ inquit, negotiatores, & mutent vitam.. improbent, damnent, mutentur, „ ſi peccatum eſt negotiatio... ſed ait mihi negotiator: Ecce egò affero „ quidem ex longinquo merces ad ea loca, in quibus non ſunt, ea quæ attulero, unde vivam, tanquam mercedem laboris mei peto... Hoc approbat Auguſtinus, & reponit: „ ſed agitur de mendacio, de perjurio " quibus verbis oſtendit non culpari à ſe ipſam negotiationis profeſſionem, aut juſtam unde vivat operæ ipſius mercedem, ſed vitia: tùm reſpondentem inducit nogotiatorem. Hoc vitium meum eſt, non negotiationis. Quòd poſtquàm pluribus comprobavit, ſubjicit demùm S. Doctor. „ Quando „ verum dicitur, non eſt quod contra dicatur. " Fatetur ergò licitam eſſe negotiationem, at propterea ad alias Pſalmi explicationes recurrit quibus illi ſolùm condemnantur qui vel religionem vertunt in turpem nundinationem, vel litteræ accidentis cognitione judaica contenti ſunt ſecundùm alteram lectionem: *non cognovi litteraturam.*

Afferant qui aiunt Patres eodem modo de uſura & de commercio locutos eſſe; afferant, ſi poſſunt, aliquid ejuſmodi in favorem uſuræ. Oſtendant comprobatas eſſe à S S. Doctoribus rationes uſurariorum, ut negotiatorum, juſtam laboris mercedem illam habitam fuiſſe ut lucrum negotiatorum, id ſolùm in uſurariis vituperari quod ab ipſa uſura ſeparari poteſt, in alios ſenſus traducta ea Pſalmorum XIV. LIV. LXXj. loca, quæ uſuram con-

condemnant, quemadmodum agit Auguſtinus erga eum Pſalmi LXX. verſum, quo videbatur omnis negotiatio vituperari: tùm dicere poterunt aliquid eſſe in Traditione, quod iis contractibus faveat, ubi lucrum ex mutuo & ſperatur, & exigitur.

Atque hæc generaliter obſervaſſe ſufficiat, donec aliquis particularia quædam ſanctorum Patrum aut Conciliorum teſtimonia protulerit, quæ ſententiæ noſtræ adverſari videantur.

VII. OBJECTIO.

Quando Conſtantinus voluit exceſſivis Ethnicorum uſuris mederi, non omnes ſuſtulit, ſed certis finibus coërcuit, neque id improbavit Eccleſia. Clericis quidem uſuras prohibuit Concilium Nicænum, ſed iis ſolis, adeòque laïcis licitas reliquit. Hoc factum vel unum ſufficeret Traditioni explicandæ ac conſtituendæ. Alii Canones ex Nicæno interpretandi ſunt. Qui Nicæni Concilii improbationem ad laïcos conatur extendere, vel ipſe ſe decipit, quia ad fontes non recurrit, vel alios vult decipere.

RESPONSIO.

I. Hoc primùm eos facere æquum eſt qui confitentur à Nicæno Concilio, aliiſque uſuram omnem clericis interdici, ut ſi clerici ſint lucrum ex mutuo non faciant, & clericos omnes ab eo dehortentur quod pro ſuprema ſua auctoritate & ſapientia ipſis prohibuit Eccleſia.

II. Deinde ne colligant laïcis permiſſas fuiſſe uſuras, niſi velint licuiſſe legem divinam prævaricari: nam in fonte Græco, ut in verſione latina damnat Concilium clericos uſurarios, non quòd rem faciant laïcis ſolis conceſſam & ſuo ſtatui non congruentem, ſed quod obliviſcantur divinæ Scripturæ dicentis: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* ἐπιλάθοντο τοῦ θείου γράμματος λέγοντος τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ. Can. 17.

III. Non repetemus quæ in iterata diſcutione pag. 9. 10. & 11. dicta ſunt, ut oſtenderetur & ante Concilium Nicænum, & poſt illud omnem omninò uſuram omnibus fuiſſe interdictam: unde ſequitur idem facere eos qui Nicæni Concilii improbationem ad ſolos clericos reſtringentes, ex eo volunt alios omnes Traditionis textus explicari, acſi ex canonibus contrà clericos concubinarios colligerent laïcis non illicitum eſſe concubinatum. Crimen crimini non æquamus, ſed dicimus eandem argumenti formam eſſe & ſimilem in ratiocinando aberrationem.

IV. Non opus eſt plura de Conſtantini lege dicere: potuit illa juſta eſſe, etſi injuſtum foret quod tolerabat, quemadmodum juſta Lex Dei ipſius fuit, divortium, aliaque in Judæis tolerantis quæ lex æterna prohibet ac vindicat. Cæterum inter omnes Chriſtianos conſtat, lege Principis licitum fieri non poſſe quod Deus prohibet.

VIII. Objebtio.

Refert Edmundus Richerius in Univerſitatis Pariſienſis Hiſtoria, quæ non extat niſi manu ſcripta, acriter in Sorbona diſputatum eſſe ſæculo decimo quarto de uſura, miraturque prævaluiſſe eam ſententiam quæ permittit creari cenſus annuos pecuniâ in perpetuum alienatâ, interea dum tanquam uſurarii reprobati ſunt ii contractus quibus ex pecunia ad certum vel incertum tempus mutuo data percipitur cenſus tandiù duraturus, donec ipſa reddatur pecunia: ac re quidem ipſa hæ caſuum duorum reſolutiones ſimul ſtare non poſſunt.

Responsio.

Quidquid controverſiæ fuerit, non ſpectabat pecuniam mutuo datam ad tempus certum vel incertum; quippe ex ea lucrum nullum exigi citra uſuræ vitium poſſe conſentiebant omnes Eccleſiæ Paſtores & Theologi. Quæſtio fuit de contractibus alienationis perpetuæ, neque alia ratione judicati ſunt legitimi, atque ut tales declarati à ſummis Pontificibus Martino V. & Calixto III. quàm quòd valdè diſſimiles eſſent his contractibus de quibus hodie agitur. Stant igitur optimè hæ duæ reſolutiones, una nullum lucrum percipi poſſe ex pecunia ad tempus alienata, quia mutuum eſt quod natura ſua & Domini lege gratuitum eſſe debet; altera, licitum eſſe cenſum annuum emere pecuniâ in perpetuum alienatâ, qua in re ut nullum mutuum eſt, ita nec uſura, quæ nihil aliud eſt quàm lucrum ex mutuo. Rogandi ſunt hujus objectionis autores, ut dignentur attendere nihil eam continere quàm quod à ſanctiſſimis Epiſcopis in Apologia Caſuiſtarum, & à Clero Gallicano celebri cenſura anni 1700. damnatum eſt in propoſitionibus 57. & 58. Vide Caſus poſitionem pag. 11. & 14.

IX. Objectio.

Demonſtratum eſt nulla lege naturali aut divina prohiberi omnem generatim uſuram, ſeu omne lucrum ex mutuo exactum, vel principaliter intentum. Fruſtrà ergò congeruntur teſtimonia Conciliorum, Pontificum, Patrum; illa quippe non conſtituerent niſi legem Eccleſiaſticam quæ in re civili & magiſtratuum regimini unicè ſubdita, nullius ponderis eſt. *Cujus eſt imago hac & ſuperſcriptio*, quæ monetam ſignat? Principis. Reddatur ergò Cæſari quod Cæſaris eſt. Hoc ſolum argumentum ſatis eſt, ut deſtruatur caſus propoſiti reſolutio, & ſolidè ſtabiliatur ſyſtema oppoſitum.

Neque dicendum eſt Eccleſiam rejeciſſe pro ſumma & infallibili qua pollet auctoritate contractus illos ut divinæ legi contrarios: nam poteſt quidem Eccleſia de omni morum quæſtione judicare, ſed ex regula à Deo præſcri-

pta

Digitized by Google

pta, quam debet proferre cum legitimis probationibus.

Responsio.

Ex his quæ huc uſque dicta ſunt judicari poteſt, an non lex divina omnem uſuram, homini præſertim chriſtiano prohibeat. Omne ex mutuo lucrum Eccleſia damnavit, non ex lege quæ ad variabilem diſciplinam pertineret, ſed definitione fundatâ in Scripturis veteris & novi Teſtamenti, ac Traditione perpetuâ. Citant loca plurima Patres, Pontifices, Concilia; & quamvis non citarent, facit ipſa Eccleſiæ infallibilitas, ut cùm pronunciat de fidei aut morum quæſtionibus, dubitari non poſſit quin regulam ſequatur divinitùs conſtitutam.

X. Objectio.

Eccleſia nunquam pronunciavit eos contractus qui in fœderato Belgio communes ſunt, eſſe uſurarios.

Responsio.

Revera non expendit Eccleſia quo pacto hîc fiant contractus, ut de iis pronunciare poſſit, ſed pronunciavit uſurarium & illicitum eſſe omne lucrum ex mutuo exactum, vel principaliter ſperatum. Hoc dogma eſt, de quo diximus nullum eſſe quod conſtantiori Traditione ad nos tranſmiſſum ſit. Contra hoc ſcimus neminem, ut de prædeſtinatione aiebat ſanctus Auguſtinus, niſi errando diſputare potuiſſe. Utrum tales ſint contractus in his regionibus uſitati, qui lucrum ex mutuo involvant, res eſt facti ex forma & effectu illorum contractuum dijudicanda, atque altero hujus Appendicis Articulo diſcutienda.

XI. Objectio.

Fallò dicitur Calvinum primum eſſe qui moderatam uſuram permiſerit: potuit ea in re aliquos nonnullorum Sorbonicorum exceſſus meritò redarguere. Neque in ea à Concilio Tridentino condemnatus eſt. Neque ſi quid à Calvino dictum eſt, propterea repudiari debet: nam & Dei omnipotentiam & Trinitatis dogma confeſſus eſt.

Responsio.

Non rejicimus id quod à Calvino commodè dictum eſt, etiam in hac materia, ſed quòd contra Traditionis auctoritatem. Agnovit in Scriptura generatim prohiberi ne Judæus à Judæo uſuram exigat. Utinam hoc cum Calvino agnoſcerent omnes, neque quiſquam ſcriberet à ſolis

 pau-

Digitized by Google

pauperibus uſuram exigi non licuiſſe.

Hoc in Calvino non poſſumus non damnare, quod credidit prohibitionem hanc ad ea præcepta pertinuiſſe, quæ cum umbris veteris Legis evanuerunt. Id enim dici non patitur natura præcepti ipſius quod morale eſt, non ipſa auctoritas Eccleſiæ quæ Canones ſuos in lege ſimul & Evangelio fundavit: unde & hoc propoſitione 59. damnavit Clerus Gallicanus.

Alterum quod à Calvino contra Traditionem dictum eſt in explicatione octavi præcepti Decalogi & in caput xviij. Ezechielis, eſt non prohiberi uſuram niſi immodicam, vel qua pauperes opprimuntur. Ea in re non aliquorum Sorbonicorum exceſſibus, ſed unanimi Orthodoxorum conſenſui refragatus eſt, ut ſine manifeſto errore ipſum ſequi nemo poſſit. Multis de cauſis fieri potuit, ut ea de re non pronunciaret Concilium Tridentinum, & fortaſſe non edita erant opera illa quibus hic error continetur: at pronunciarunt plura Concilia Tridentino poſteriora, & quis dubitet Tridentinum idem fuiſſe dicturum quod Nicænum & Viennenſe docuerant?

XII. Objectio.

Scriptura non præcipit niſi caritatem: nihil aliud culpant Patres quàm quòd injuſtum eſt. Porró manifeſtum eſt contractus uſitatos neque juſtitiæ, neque caritati eſſe contrarios. In his nemo alteri facit, niſi quod ſibi fieri vellet. Per hos contractus ditantur Mercatores, juſto moderatoque lucro ſe ſuamve familiam ſuſtentant qui ipſis pecunias tradunt in negotiatione expendendas; floret commercium, ac per commercium Reſpublica. Non poteſt eſſe arbor mala, quæ tot & tam bonos fructus parit: non eſt condemnatum à Chriſto juſtitiæ & caritatis magiſtro, quod utrique virtuti quàm maximè congruit.

Responsio.

I. Hoc primum obſervandum eſt ratiocinium illud quod ad probandam uſuræ moderatæ à divitibus exigendæ innocentiam profertur Calvino Auctori deberi: ſic enim ille cenſet in octavum Decalogi præceptum, „ Non „ niſi de pauperibus haberi ſermonem; ideòque ſi cum divitibus nego„ tium ſit, liberum jus fœnerandi permitti, quia legiſlator rem unam no„ tando, alteram de qua ſubticet videtur non damnare. Objiciunt, fœ„ neratores à Davide & Ezechiele in totum damnari: ſententias illas ad „ normam caritatis exigi debere arbitror: ideòque non damnari, niſi „ improbas exactiones, quibus creditor poſthabitâ æquitate debitorem „ ſuum onerat & premit. Unde ſequitur uſuras non eſſe illicitas, niſi quate„ nus cum æquitate & fraterna conjunctione pugnant.” Quam miſerum eſt

Scri-

Scripturas explicare contra Traditionem unanimem, nec habere alium interpretationis ſuæ vadem vel auctorem, quàm Calvinum!

II. Revera Patrum principium eſt ex ipſa Scriptura deſumtum, eum qui nec caritatem violat nec juſtitiam, legem implere: verum ſic intelligendum eſt quomodo ipſi intelligunt; neque ad id convertendum, ut quod illi uno ore condemnant, credatur innoxium. Porrò non docent, nec ſine errore dici poſſet, illud omne eſſe licitum quod non eſſentialem & perpetuam cum juſtitia & caritate repugnantiam includat. Hac enim ratione polygamia ſimultanea non eſſet illicita; nempe de moribus, non ex metaphyſica poſſibilitate, ſed ex morali æſtimatione, ſeu ex eo quod contingere ſolet, ſtatuendum ac judicandum eſt. Poteſt quis ſi ſolam rei naturam ſpectemus, ſanctè cum duabus uxoribus verſari, & liberos in pace educare: ſed quoniam hoc aptum eſt diſcordiis cæteriſque cupiditatibus locum dare, juſtiſſimè ac ſapientiſſimè à Chriſto prohibitum eſt, nec fieri jam ſine juſtitiæ & caritatis tùm divinæ tùm humanæ violatione poſſet. Idem de uſuris diceremus, ſi non eſſent per ſe injuſtæ, idque ſufficeret, ad enervandum iſtud argumentum quod refellimus, & in quo ſibi tantoperè plauſit Auctor libri *de la pratique des billets*, ut ex eo omnes ſuas probationes, reſponſioneſque depromat. Certum eſt lege divinâ prohiberi uſuram omnem: ſic Deo placuit, ſic fieri oportere judicavit, ut reprimeretur cupiditas, ut daretur locus pauperibus mutuo gratuito adjuvandis, quod vix faciet, qui cum lucro mutuum dare ſe poſſe exiſtimabit, ut omne humanum genus arctiori fraternitatis vinculo conjungeretur, ut vitarentur omnes injuſtitiæ atque inhumanitatis occaſiones quas in hac negotiatione frequentes eſſe illi ipſi confitentur, qui eam volunt eſſe per ſe innoxiam. Satis id eſſe oportet, ut jam non audiatur quicumque de fructu vetito dicit: *Cur præcepit vobis Deus?* &c. Et addit: *Nequaquam morte moriemini.* Gen. III. I. 4.

III. Non animadvertunt qui hanc objectionem proponunt illud ipſum principium quo nituntur contra ſe retorqueri validiſſimè poſſe. Sic enim illi argumentantur. Chriſtus nihil prohibuit circa mutuum quod ſit juſtitiæ & caritati conformè, ipſique reipublicæ utile ac propè modum neceſſarium.

Atqui lucrum aliquod ex mutuo percipi res eſt quæ nec cum juſtitia pugnat, nec cum caritate, & reipublicæ ſummoperè utilis eſt.

Ergo id Chriſtus non prohibuit.

E contrario ſic nos argumentamur.

Deus, ut ſupponitur, nihil prohibuit circa mutuum quod ſit juſtitiæ & caritati conforme, ipſique reipublicæ utile vel neceſſarium.

Atqui certiſſimum eſt Deum in veteri & novo Teſtamento prohibuiſſe omnem uſuram, ſeu omnis ex mutuo lucri exactionem aut etiam ſpem & expectationem qua ad mutuandum determinemur.

Ergo nulla uſura, nullum ex mutuo lucrum exactum vel principaliter ſperatum juſtitiæ ſimul & caritati conforme eſt.

Si

Digitized by Google

Si utriuſque argumenti formam ſpectes, eſt eadem: idem principium. Hoc ergo ſupereſt, ut videamus utrum alteri præferendum ſit, utrius aſſumtio, quam Minorem appellant, verior & certior ſit, utra procedendi methodus tutior aptiorve veritati certò aſſequendæ.

Minorem noſtram propoſitionem nos ex revelatione, ex Decretis Eccleſiæ, ex unanimi Patrum & Theologorum conſenſu comprobamus. Hoc non novum, non ſubtile, non ſophiſmatibus obnoxium. Nihil certius eſt quàm nos ſic edoctos eſſe à præcedentibus ſæculis, nec refragari niſi modernos eoſque paucos admodum ſcriptores. Illorum rationes acutæ videri poſſunt, ſed ſuſpectæ ſaltem, & incertæ. Eorum igitur argumento noſtrum eſt præferendum.

IV. Ipſa methodus qua utuntur periculoſa, ſuſpecta, recto ordini, Deique conſilio contraria eſt. Quantùm hominem ſuperat Deus, tantò ſuperior eſt rationi humanæ divina revelatio. Qui voluerunt de divinâ lege, non ex revelatione, ſed ex ratione ſtatuere, in plurimos, turpiſſimoſque errores lapſi ſunt, & vix quidquam reliquerunt in moribus quod non infauſtis ſuis ratiociniis ſubverterint: nihil igitur hac methodo periculoſius: nihil Dei conſilio magis contrarium, qui infirmitatem noſtram revelationis præſidio munivit, *ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris.* Epheſ. IV. 14. Ratione Philoſophia nititur, revelatione Theologia moralis ut dogmatica: non agit ergo Theologum qui unico ratiocinio nititur: nec poteſt non eſſe erronea Philoſophia quæ revelatis contradicit. Hic ergo locum habet quod aiebat Apoſtolus: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm Traditionem hominum., ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Coloſſ. II. 8.

V. Tantò juſtius ſuſpecta eſt Philoſophia illa quæ in uſura moderata nihil juſtitiæ caritative contrarium detegit, quod adverſantes habet ſapientiſſimos quoſque, etiam profanæ Antiquitatis Philoſophos. „ Optima ratio„ ne, " inquit Ariſtoteles Politicorum lib. I. c. 7. „ ratio fœneratrix „ omnibus odio eſt... fœneratitius quæſtus maximè omnium abhorret à „ natura. " Notum eſt quid Cato de uſura ſenſerit, ex quo cùm quæreretur inter eas artes quibus vivitur, quid eſſet fœnerari, *quid*, reſpondit, *hominem occidere?* Sed quid dicemus de Patribus Eccleſiæ? Num illi præſtantiſſimi fuerunt ingenio ut pietate? Potueruntne ex inſcitia non videre quod modernis aliquibus luce clarius videtur, interea dùm in lege Domini id evidentiſſimè videbant, quod non vident iidem recentiores?

VI. Idem de utilitate ex uſura in rempublicam, ut aiunt, redundante dici poteſt. Primum periculoſum eſt inde ſolum modò metiri velle quid ſit licitum, quid illicitum. Utilem reipublicæ aliqui polygamiam dicent, alii divortii libertatem, alii ipſam meretricum infamiam. Ambitio quæ cogit eniti ad honores, avaritia quæ nulli labori, nulli induſtriæ parcit, belli injuſti ſuſceptio ubi certa victoria eſſe videtur, & alieni fundi deprædatio, proditio ipſa reipublicæ

publicæ ſæpe utiles videbuntur. An propterea licita hæc flagitia vel facinora judicabimus?

VII. Quantò rectius ſtatuemus id quod Stoïci docebant, nihil eſſe utile quod non ſit honeſtum; quia quidquid iniquum hoc plus nocet, quàm prodeſſe videatur.

Non eſt ergo utilis uſura quæ teſtibus Davide Pſ. LIV. & Ezechiele xxij. iram Dei provocant, & vindictam in civitates, quibus propterea vel ſpiritalia, ut ſemper, vel tandem etiam, ut plerumque fit, temporalia impendent mala in pœnam prævaricationis.

VIII. Verum non eſt æſtimandum ideò tantùm uſuram eſſe pernicioſam quia prohibita eſt. Ideò vetita fuit quia iniqua eſt & pernicioſa. Revera commodius eſt uſurariò ſine labore, ſine induſtria, ſine pecuniæ periculò cenſum annuum recipere: at quis dixerit reipublicæ & commercio utilius eſſe, quod retineat pecuniæ repetendæ potentiam, qua ſæpè uti non poteſt, quin mercatoris tùm mercibus abundantis ac pecuniâ deſtituti fortunas evertat; unde ſequitur & eorum quibus ille debet & ſociorum ejus gravis jactura? Quantò utilius eſſet in commune bonum conferri ſocietatis titulo pecunias ex quibus captatur aliquid lucri? Quantò mercatori convenientius illas ſine reſtituendi obligatione ſub cenſu annuo poſſidere? Ut nihil dicam de his qui agros diligentiùs excolerent, vel mercaturam ipſi ad bonum publicum exercerent, ſi non mallent in otio ex uſuris vivere. Quid dicam de prodigis quorum luxum fovent pecuniæ ad uſuram mutuatæ? Quid de audacia eorum mercatorum qui cum re modica & parva induſtria negotiationes ſuſcipiunt ampliſſimas, & cùm ſolvendo non ſint, alios ſua ruina involvunt? Quid de his qui lucrum captantes ex uſuris, ſortem ipſam non rarò amittunt?

IX. At de his judicent quorum eſt leges ferre; nos decet ex lege Domini omnia metiri, & felices ducere, non qui divites ſunt, ſed qui juſti & probi, quales, Scriptura teſte, eſſe non poſſunt qui pecuniam ſuam dant ad uſuram. Certè Plato nihil utilius ſe ſtatuere poſſe judicavit quàm edicendo de Rep. lib. v. „ Nemini mutuum dare ad fœnus licet. Ei qui ſecus fa„ xit, neque fœnus, neque ſors redditor. " Lege duodecim Tabularum ſublata tandem uſura omnis, ac tùm felicior extitit reſpublica, in qua è contrario „ fœnebre malum ſeditionum ac diſcordiarum cauſâ creberri„ ma. " ex Tacito Annalium lib. v.

X. Illud denique obſervare non abs re erit, leges eas quæ uſuram omnem prohibent ſatis oſtendere quàm pernicioſæ reipublicæ habitæ ſint: eas è contrario quibus tolerantur nihil in favorem earum probare: nam propterea tolerantur quod ſine his mutuum non daturos homines cupidos legiſlatores ſuppoſuêre. Porrò chriſtianis non decet ea facere quæ tolerari neceſſe eſt; & erit ſemper ſatis magnus numerus eorum qui ex mutuo lucrum captabunt, atque ita qualemcumque operam dabunt commercii utilitati, ut nihil propterea opus ſit nos uſurarios fieri, ne quid detrimenti & commercii immunitione Reſpublica patiatur.

(ex)

OB-

Objectio XIII.

Pecunia una quædam merx eſt, eaque præcipua: atqui ex mercium commutatione fas eſt lucrari: ergo & ex pecuniâ.

Responsio.

I. Si quid valeat hoc argumentum ſequitur à pauperibus exigi poſſe uſuram; nam his quoque cum venditur merx aliqua, fas eſt lucrum ex eâ re capere.

II. Falſum eſt pecuniam ſignatam mercem quandam eſſe: eſt enim nummus inventus ad faciliorem permutationis uſum, atque ut eſſet rerum emendarum pretium, & earum quæ naturâ diverſæ ſunt, communis quædam menſura, unde à naturâ recedit qui nummum ex nummo multiplicat, eoque non ad permutationem ad quam eſt inſtitutus, aut ad emptionem rerum quæ neceſſariæ ſunt, ſed ad incrementum utitur.

III. Si nummum mercem appellare placet, ſaltem id confitendum eſt, mercem quamdam eſſe cujus pretium lege definitum eſt, ut nec pluris vendi quàm valeat, nec tanquam minoris pretii & æſtimationis cenſeri debeat cùm recipitur quàm cùm traditur.

IV. Quantumcumque pecunia merx esse supponatur, certe non magis merx est quam vinum, frumentum, oleum caeteraque hujusmodi; porro ex his lucrari nefas est ubi mutuo dantur, et superabundantiam in talibus reprobant Scriptura et Traditio: tunc tantum lucrum ex his fieri vel intendi potest, ubi fit venditio ∧

XIV. Objectio.

Poteſt Princeps nummi ſignati valorem augere vel minuere: poteſt ergo efficere ut legitimum ſit plus exigere quàm datum eſt. Quidni ergo licitum faciat lucrum ex mutuo?

Responsio.

Pecunia, ut modo obſervatum eſt, lege certum habet valorem & definitum à Principe, etiamſi variata lege variari poſſit; itaque quo die traditur pecunia, non plus valet illa quæ traditur debitori, quam quælibet altera ſimilis: pariter, quo die redditur, tantumdem valet, quantùm quælibet altera ſimilis, adeòque & quantùm valebat cum tradita eſt, niſi mutatio novâ lege intervenerit. Ergo ſi quid ultrà exigitur, non poteſt eſſe aliud quàm pretium uſûs pecuniæ pro eo tempore quo debitoris in manibus relicta eſt, adeòque uſuram eſſe fatendum eſt, cujus ut nomen odioſum, ita eſt injuſta natura.

At Princeps mutationem fecit, minuitque monetæ pretium. Tùm tibi licet majus auri argentive pondus recipere, modo 1°. non majorem ſummam recipias, quam dediſti 2°. non coëgeris tunc ſumere, cùm nummi major valor erat, tùnc reddere cùm minor eſt. 3°. Et ſincerè ita diſpoſitus fueris,

∧ aut quid simile. ergo idem est de pecunia dicendum, etsi merx quodammodo haberi possit. potest, qui ea tradita censum annuum emit, suam utilitatem intendere et captare, non potest exigere lucrum ubi eam mutuo tradit.

fueris, ſintque ita concepta pacta veſtra, ut ſi auctus eſſet nummorum valor, eandem præcisè ſummam, non eundem nummorum numerum recipeles.

Quid ſi pactus fuero redditum iri eundem nummorum numerum, idemque pondus, ſive valor auctus eſſet, ſive imminutus? Tam legitimum videtur hoc pactum quàm recipiendi modium frumenti pro modio, ſive pretium variatum fuerit, ſive non: præcipuè ſi & pecuniam & modium ſtatueras ad illud uſque tempus ſervare, quo reddi debet.

Verùm ex his nunquam efficietur ut liceat cui mille florenos dederis ab eo exigere plures quàm mille; cum valorem non mutarunt; tantùndem enim valent cùm à debitore redduntur, quàm cùm à creditore mutuo dantur. Eſt autem in æqualitate poſita juſtitia.

XV. Objectio.

Pauperum indigentiæ tenemur ſubvenire per eleemoſynam, & quandoque per mutuum. Qui hoc caſu ſuperabundantiam, aut pluſquam dedit exigit, uſurarius eſt. Sed divites ſæpe à concivibus ſuis mutuas pecunias ſumunt ad lucrum faciendum, & ad divitias ſuas augendas, nec raró ſumentes ſunt dantibus ditiores. Quin imò honeſti viri qui honoris ſui curam gerunt, non vellent tale mutuum gratis recipere. Quomodo oſtendetur quòd tunc omnis ſuperabundantia prohibeatur, & quòd de illa paciſcens uſuræ crimen committat?

Responsio.

Oſtenditur primò ex Scriptura quæ generatim prohibet exigi ſuperabundantiam. 2°. Ex lege quæ omnem uſuram ſeu ſuperabundantiam exigi vetabat à cive Hebræo. 3°. Quia faciunt divitiæ mutuatarii ut fortaſſe non teneamur exercere miſericordiam erga illum, non faciunt ut iniquum eſſe liceat; eſt autem iniquum plus exigere quàm datum eſt. Sic Philo de charitate, & S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 2. „ Lex prohibet fratri „ fœnerari .... non æquum putans ex uſuris pecunias colligere. " Sic Lactantius Inſtitut. lib. 6. cap. 18. „ Pecuniæ, ſi quam crediderit non accipiat uſuram. Plus accipere quàm dederit injuſtum eſt. " Sic Theodoretus in Pſal. LIV. „ Notandum eſt non modò novi Teſtamenti perfectionem, verùm etiam legis ſtatum fœnus damnare, quod cum iniquitate, & injuſtitia & dolo copulat. Sic denique Patres, ſic Theologi omnes, ſi paucos recentiores exceperis.

Diximus fortaſſe facere divitias mutuatarii ut erga ipſum miſericordiam exercere non teneamur, quia revera interdùm tam indiget ſublevari mutuo, ut non ampliori fortunâ excidat, quàm pauper ne tenuiſſimis, quæ habet, bonis, aut ipſâ vitâ privetur.

Nec refert quod mutuatarius non vellet mutuum gratis recipere: etenim

D non

Digitized by Google

non poteſt ejus vel liberalitas, vel ambitio Legem Dei & Præceptum de gratuito mutuo immutare. Poteſt ille quidem gratitudinem ſuam munuſculis teſtari: creditor verò ea ſperare aut principaliter intendere non poteſt. Et meminiſſe nos oportet verbi Dominici, Lucæ xiv. 12. 13. 14.

Objectio XVI.

Dicit, qui pecuniam diviti ſuppeditat, ſe lucro ex pecunia ſua carere non poſſe, & opus habere ad ſuſtentandam familiam liberoſque.

Responsio.

Si ita eſt, debet eam utiliter impendere, aut emendo agros vel decimas, aut negotiando, aut negotiationis in ſocietatem veniendo, aut emendo, pecuniâ in perpetuum alienatâ, cenſum annuum, aut aliâ aliquâ licitâ induſtriâ vel adminiſtratione. Quòd ſi deſtinatam ac proximè applicandam his rebus pecuniam ex charitate mutuo dederit, non prohibebit juſtitia quin ſuæ indemnitati conſulat.

Objectio XVII.

Non liquet qua æquitate dives pecunias ſumens dantem à ſpe lucri poſſit excludere.

Responsio.

Si, qui dedit, damnum patiatur, æquitas poſtulat ipſius indemnitati conſuli: ſi nihil paſſus fuerit, ſatisfit æquitati, ubi id ipſi redditur quod dedit, quia per hoc ſervatur æqualitas.

Eſt hoc adeò certum, ut non ad aliud obligetur qui pecuniam furatus eſt, cujus conditionem abſurdum eſt eſſe meliorem quàm amici aut civis mutuatarii. Si eâ pecuniâ furtivâ aliquod prædium utiliter comparatum, „ homo non tenetur ad reſtituendum, niſi id quod accepit, quia „ id quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus hujuſmodi rei, ſed „ humanæ induſtriæ, niſi fortè per detentionem talis rei alter ſit damni- „ ficatus, amittendo aliquid de bonis ſuis; tunc enim tenetur ad recom- „ penſationem nocumenti. Ita S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 3. in Corp.

Ergo à pari creditor jus non habet niſi ad pecuniam quam mutuo dedit, non ad lucrum quod ex tali pecunia tanquam ex inſtrumento debitor per ſuam induſtriam conſecutus eſt.

Et verò, ſi æquitas poſtularet ipſi lucri partem tribui, quomodo in veteri Lege prohibuiſſet Deus ne id quod æquitatis erat Judæus à Judæo exigeret.

Hæc ſunt quæ exigere viſæ ſunt prolatæ hucuſque difficultates circa tres primas Caſûs poſitionis propoſitiones, quæ cum iis quæ in *iterata Diſcuſ-*

ſione

Digitized by Google

ſione dicta ſunt, ſufficere arbitramur. Si quid remaneat quod non planè ſolutum exiſtimetur, tum examinari poterit, ubi expendetur occaſione ſecundæ quæſtionis, ſitne uſura omnis ipſo invariabili naturæ jure prohibita.

Superſunt nunc examinandæ ex difficultates quæ circa Propoſitionem quartam propoſitæ ſunt, ut probaretur in contractibus de quibus agitur, non ex mutuo, ſed ex juſto titulo lucrum percipi, quod præſtabimus Articulo ſequenti.

ARTICULUS II.

Expenditur an contractus uſitati lucrum ex mutuo, adeòque uſuram includant.

UT de hac quæſtione rectè judicetur ſcire opus eſt, primùm quomodò fiant hi contractus, deinde an in illis, prout fieri ſolent, reperiatur aliquis alius titulus lucri præter mutuum.

Quod ad primum pertinet, non audivimus quemquam conqueſtum eſſe quod in Caſûs poſitione non bene expoſitum fuerit id quod in his regionibus conſuetum eſt; verùm ad pleniorem rei evidentiam placet hic attexere formam typis editam Chirographorum, quibus ſe obligant ad ſortem cum fœnore reddendam qui pecuniam recipiunt.

FORMULA CHIROGRAPHI
SEU OBLIGATIONIS.

BELGICE.

Prout typis impreſſa eſt.

Ik ondergeſchreeven bekenne mits deſen deugdelyk ſchuldig te wezen aen.. de ſomma van ... voor .. gelt tot myn genoegen ontfangen welke voorz. Somma van .... ik aen hem ofte thoonder deſes, belove koſt en ſchadeloos te betaelen in... geld over .... maenden, na dato deſes precys, met den intreſt van dien tegens .... ten hondert in't jaer, ende ingevalle van prolongatie, tot de effectuele betaelinge toe. Hier voor verbindende myn perſoon ende alle myne goederen geene uytgeſondert, ſtellende deſelve tot bedwang van alle Rechteren ende Rechten. In kenniſſe der

LATINE.

„ Ego infraſcriptus confiteor
„ per Præſentes me verè debito-
„ rem eſſe N. N. ſummæ ... ob
„ pecuniam à me ultrò acceptam,
„ quam præmemoratam ſummam
„ .... ego ipſi aut alteri cuicunque
„ qui Præſentes exhibuerit, promit-
„ to me ſine expenſis & detrimen-
„ to ſoluturum poſt .... menſes, ſe-
„ cundum datam hujus precisè diei
„ cum intereſſe ſeu auctario dictæ
„ ſummæ, ratione.. in centum pro
„ anno & in caſu prolongationis
„ uſque ad effectivam ſolutionem.
„ Propterea oppignerando perſo-

Ra-

waerheid, dit met myn eygen hand onderteekent.

Actum in Amſterdam den…

„ nam meam & mea omnia, nullo „ excepto, ſubjiciendo eadem coa- „ ctioni omnium Judicum & Ju- „ rium. In cujus rei fidem his ce „ propria manu ſubſcripſi.

Actum Amſtelodami die…

Jam verò utrùm in ejuſmodi contractu aliud appareat quàm mutuum cum lucro, ſine altero quàm mutui titulo, facilè judicare omnes poſſunt, ſive ex ipſa Chirographi formula, ſive ex his quæ dicta ſunt in Caſûs poſitione propoſitione IV. cujus probationes tamdiu validas haberi æquum eſt, donec plenâ reſponſione eliſæ fuerint. Supereſt hic aliquas difficultates elucidare.

I. Difficultas.

Quis nos reprehendet, ſi dixerimus talem pecuniæ expoſitionem & receptionem ſapere contractum ſocietatis, non merum mutuum?

Responsio.

Reprehendent Juriſconſulti omnes & Theologi: ſi enim merum mutuum deſineret, ~~esse mutuum~~, quia datur homini negotiaturo & lucraturo cum onere fœnoris, quod ſupponitur futurum pars lucri. Porrò id dici non poteſt.

Primò enim ex ipſa formula & praxi evidens eſt non ſolùm ad negotiandum tradi pecuniam debitori, ſed ad quidlibet voluerit: unde nec ſolis negotiatoribus ita datur.

Deinde mutuum datum negotiatori non deſinit eſſe mutuum, ſicut commodatum, locatio, venditio, aut quilibet alius contractus naturam non mutat, quia fit cum mercatore qui ſupponitur negotiaturus, atque ex negotiatione lucraturus.

Tertiò non magis deſinit eſſe mutuum cum datur negotiatori pecunia, quàm cum eidem traditur vinum, oleum, frumentum, quod ſuo lucro vel periculo vendat, & aliquo poſt tempore ſimili ſpecie reſtituere teneatur, aut cum agricolæ datur frumentum ad ſerendum ſimiliter reddendum, atqui in utraque circumſtantia mutuum eſt, illudque uſurarium ſi exigatur ſuperabundantia.

Quartò nihil hîc juſtæ ſocietatis eſt, ut demonſtratum fuit in Caſûs poſitione pag. 8. 9. & 10.

II. Difficultas.

Sic de reditibus noſtris ſenſit Eruditiſſimus Dominus Joannes Opſtratius.

Res-

RESPONSIO.

I. Primùm hoc recolendum eſt ſolis Scriptoribus Canonicis hunc honorem deferri oportere, ut quòd unus aliquis ſenſerit, propterea verum cenſeatur quia dixit.

II. Deinde dubitari non poteſt quin falſum ſit in religione ac ſemper repudiandum, quod unus recentior contra conſenſum præcedentium & coævorum docuerit; vel etiam contra antiquam Traditionem, etiamſi illa obſcurari cœpta ſit. Hinc reſpuimus Cypriani ſanctiſſimi Martyris ſententiam de Baptiſmo hæreticorum. Hinc, ut ad recentiora veniamus, gratiæ generalis ſyſtema & infallibilitatem Pontificiam reſpuimus, quanquam magnos celebreſque defenſores habuerint, & habeant ejuſmodi opiniones, quia cum antiqua Traditione pugnant.

III. Quantò magis diſcedendum eſſet ab Opſtratii ſententia, ſi illa ſimul eſſet contra conſenſum Antiquorum omnium & præter mentem omnium Theologorum, ac ſuæ præſertim Facultatis, quæ ita abhorruit à lucro ex mutuo exigendo, ut damnaverit anno 1657. damnarique poſtea à ſancta Sede curaverit hanc propoſitionem. „ Uſura non eſt dum „ ultrà ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine „ debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.

IV. Exhibendam cenſemus Epiſtolam eruditiſſimi Viri, unde petitur objectio, ſcriptam ad N. N. 21. Septembris anni 1710.

Admodum Reverende ac Ampliſſime Domine,

„ Quòd humaniſſimis veſtris 2. Auguſti ad me datis non reſponderim „ hactenùs, non inhumanitati meæ adſcribendum eſt, ſed timori, ne fortè ſcriberem aliquid quod ab antiqua & tradita nobis de mutuo doctrina diſſonaret. Sæpiùs in lectionibus, cùm docui, quæſtionem iſtam „ diſcuſſi. Sæpiùs etiam quid de ea ſentirem, tùm ab amicis Batavis, „ tùm ab aliis interrogatus ſum; ſed non niſi timidè quod videbatur, propoſui. Ac primùm, teneri unumquemque, dùm copia ſuppetit, mutuum dare proximo indigenti, non tantum ſine lucro ſuprà ſortem, „ ſed & cum ſortis periculo; quin & aliquando cum amiſſione ſortis, ut „ cùm danda eſt eleemoſyna. Deinde in ejuſmodi caſu, non excuſare coràm Deo titulum lucri ceſſantis, aut damni emergentis; cùm ad ſuccurrendum proximo indigenti, & charitas & juſtitia æterna præcipiat lucro „ ſuo renuntiare, & damnum ſubire. Tertiò, tamen verum eſſe quod „ paſſim tradunt Scholaſtici, non peccari contra juſtitiam, ſi titulo lucri „ ceſſantis vel damni emergentis aliquid exigatur ultrà ſortem, etiam ab „ indigentibus: ſed hoc ſic intelligendum eſſe, ut non peccetur contra juſtitiam per leges humanas conſtitutam, adeòque nec in foro externo „ puniri poſſit qui iſtis titulis, dum verè ſubſunt, petit ſibi aut lucrum „ ceſſans, aut damnum emergens compenſari: peccari tamen etiam tunc

„ con-

Digitized by Google

„ contra juſtitiam & legem æternam, quæ jubet cum lucro ceſſante &
„ damno emergente ſuccurri proximo indigenti. Quartò, dum pecunia
„ mutuo datur non indigentibus, ut neceſſitati ſuccurratur; ſed negotian-
„ tibus, vel alio modo eâ utentibus ut lucrentur, videri tunc non illici-
„ tum aliquid annuè ſuprà ſortem accipere, eo quòd tunc, non tam
„ fiat contractus mutui, quàm contractus quidam ſocietatis & fortuitus,
„ juxta quem is qui pecuniam accipit, ſpem habet multùm lucrandi per
„ induſtriam ſuam fructuosè pecuniâ utendo: qui verò dat, accipit ſuprà
„ ſortem lucrum exiguum & certum. De hoc contractu neque ſacræ Lit-
„ teræ, neque Patres loqui videntur, dum condemnant uſuras: & ſi ſola
„ ratio atque utilitas publica ſpectetur, videtur licitus. Non auſim tamen
„ pronuntiare ſententiam, eo quòd hoc novum videatur, & hactenùs à
„ Theologis ſaltem disertè non probatum. Cæterum in praxi, ſi in mer-
„ catoribus & negotiatoribus aliud peccatum non invenirem, & quoad
„ reliqua chriſtianè viverent, nec ſcrupulum ea de re haberent, putarem
„ in bona fide relinquendos & abſolvendos. Ex his ſtatuet Amplitudo ve-
„ ſtra quid cenſeam de libro ad me miſſo, quem remittam, ſi juſſerit.
„ Omnia interim meliori veſtro judicio ſubmitto, qui ſum,

Admodum Reverende & Ampliſſime Domine, &c.

V. Ex hac Epiſtola manifeſtum eſt Opſtratium ejus regulæ veritatem in dubium minimè revocare quæ vetat ex mutuo, ſeu vi mutui captare lucrum. Propterea non aliter excuſandos cenſet contractus, de quibus agitur, ſi excuſari poſſunt, quam aiendo in eis non tam eſſe mutuum, quàm ſocietatem. Non litigat circa uſuræ prohibitionem generalem in Scripturis, non circa loca Patrum; nunquam dixiſſet non cogi ſe admittere principium iſtud, quod nunquam ex mutuo à divitibus liceat ſuperabundantiam exigere.

VI. De ſolis mercatoribus concludit non ſibi videri inquietandos. Cur ergo ipſius conjectura & indulgentia ad quoſvis creditores extenditur?

VII. Nec ipſos mercatores, qui vi ſimilium contractuum ſortem cum auctario recipiunt, ſupponit rem licitam agere, non ait ſe ipſorum ſcrupulos depulſurum, ſi à ſuis conſiliis pendere voluerint; ſed eos abſolvi, ut ſibi videtur, poſſe, qui nullum eâ de re ſcrupulum haberent, & in bona ſua fide relinquendos. Sic nunquam loquuntur Theologi de his qui aliquid lege licitum faciunt, ſed de his qui legem prohibentem invincibiliter ignorare ſupponuntur.

VIII. Denique cum ſingularem ac ſibi propriam conjecturam proponit, fatetur id novum videri, timetque ne ab antiqua & tradita nobis de mutuo doctrina recedere judicetur. Propterea omnia ſubmittit meliori ejus ad quem ſcribit, judicio. Credimuſne reluctaturum fuiſſe his omnibus, qui citantur in Caſûs reſolutione, ac diſceſſurum à Theologorum Pariſienſium, Articulis ibidem relatis pag. 13. & 14. Saltem imitentur eruditiſſimi Viri modeſtiam, qui auctoritate ſe tuentur, & patiantur nos ſtare

ſan-

ſanctorum non modò Auguſtini & Thomæ, quorum nos diſcipulos eſſe cum Opſtratio gloriamur, ſed omnium omninò certis atque inconcuſſis dogmatibus, & ipſa Opſtratii timiditate deterreri, ne eos contractus ineamus vel approbemus quorum dubia, ut minimum, æquitas eſt: nam rectè præcipiunt, ipſo Cicerone teſte, qui vetant quidquam agere quod dubites æquum ſit, an iniquum.

III. Difficultas.

Quanquam damna, lucrum, pericula in ſocietate utrique ſociorum debeant eſſe communia, nihil obſtet quominus iſta per alia pacta quæ adjiciuntur, modificari poſſint. Sunt itaque hi reditus quaſi ſocietas modificata, in qua majus periculum quod unus in ſe recipit, majori ſpe lucri compenſatur. Et quamvis unus ille omne periculum ſortis in ſe recipiat, non ideò ſocietas deſinit eſſe ſocietas, aut in mutuum convertitur.

Responsio.

Non diffitemur per pacta ſpecialia modificari poſſe leges ſocietatis quæ volunt omnia ſociorum eſſe communia, & majus periculum quod unus in ſe recipit, majori ſpe lucri compenſari. At ſocietatem ullam eſſe negamus, ubi, qui tradit pecuniam, nullum ſuſcipit periculum ſeu ſortis quæ ipſi poſt incertum certumve tempus reſtituenda eſt *ſine expenſis & detrimento*, ſive auctarii quod recepturus eſt, etiamſi non modò debitor nihil lucratus fuerit, ſed etiam ſortem ipſam amiſerit. Non eſt dicendum ſocietatem tunc in mutuum converti, ſed merum mutuum eſſe, in quo nihil ſocietatis intervenit.

IV. Difficultas.

Si tertiam perſonam adirem, & ille me pro aliqua portione lucri ſibi aſſignata de ſorte ſecurum redderet, poſſetne illud jure reprehendi? Cur ergo reprehendis, ſi ſociorum unus per initum pactum fiat aſſecurator alterius? Nihil hîc apparet quod juſtitiæ aut caritati adverſetur.

Responsio.

I. Non magis valet iſta argumentatio quàm hæc planè ſimilis. Licet ab uno emere cariùs, & alteri viliori pretio vendere: id infortunium eſſe judicatur, non peccatum: licet ab uno viliori pretio emere, quod ille cariori emerit: ergo licitus eſt pro utroque contrahentium contractus *Mohatra* à Facultate Theologica Lovanienſi anno 1657. damnatus, quo alicui venditur certa frumenti quantitas centum quinque florenis, & ab eodem ſimul redimitur pro centum; quis non judicet prætenſum hunc duplicis emtionis

emtionis contractum, nihil aliud eſſe quàm uſuram qua centum florenî mutuo dantur, eâ conditione ut debitor centum & quinque florenos reſtituat? Ita planè ſtatuendum eſt de ficta illa ſocietate quâ centum florenos mercatori trado, eâ lege ut poſt annum centum & quinque reſtituat, ſive negotiatus fuerit, ſive non, ſive lucrum fecerit negotiando, ſive jacturam.

II. Ideò poſſum cum tertia perſona de ſortis ſecuritate paciſci, quia per hoc non deſtruitur inita ſocietas: deſtruitur autem, ſi de ſorte ſimul & augmento ſecurum me faciat is quem ſocium fingunt. Ibi nullæ ſocietatis notæ ſunt, mutui natura & conditiones omnes reperiuntur.

III. Ubi cum tertia perſona paciſcor, ſocius meus non deſinit habere ſocium, qui cum eo periculum communicet & lucrum: nam tertia illa perſona meas vices ſubit, & damni ut lucri particeps erit; neque ullum lucrum faciet, ſi nihil ſocius fecerit. Ubi cum eodem, cui pecuniam tradidi, ita paciſcor, ſocium non habet, ſed creditorem, cui mutuatam pecuniam quocunque eventu reddere tenetur, & quidem cum uſura.

IV. De lucro paciſci non poſſum cum eo cui trado pecuniam, ut illud de incerto certum faciam, vel ut illo minuendo ſortis ſecuritati conſulam; non poſſum, inquam, niſi jam cum illo ſocietatem inierim: neque enim ullum habeo jus ad lucrum, niſi ratione initæ ſocietatis: Ergo ſupponi ac præcedere neceſſe eſt ſocietatis contractum liberè initum à ſuſcipiente pecuniam, & in quo ille conquieſcere poſſit, abſque eo quòd cogatur aliis pactionibus & ſortem & lucrum aliquod mihi aſſecurare. Liber igitur ſit neceſſe eſt, nec ab ipſo exigam ut de ſorte ſimul cum augmento reddenda paciſcatur, idque ſi exigam, ſocius non ſum, ſed uſurarius.

V. Reipſa ſocietatem inire non vult, neque creditor qui periculum negotiationis timet, neque mercator, qui vult majori libertate, & nulli ad reddendam rationem obſtrictus negotiationem ſuam exercere. Ita ſit ut non afferatur ad purgandum uſuræ vitium, niſi quædam intentionis directio quæ nec uſuram tollit cùm nihil mutet in rebus, neque reipſa in his reperitur quos excuſare deſiderant.

VI. Huc uſque ratione pugnavimus contra fictitium illum prætenſæ ſocietatis titulum: auctoritatem ſubjicimus qua certius nos regi oportet. Manifeſtum eſt doctrinam objectionis eandem eſſe ac trium contractuum quos primus excogitavit Major, defendit Navarrus, optans ut eâ de re ſententiam proferret Sedes Apoſtolica, oppugnavit Dominicus Soto. Porrò illam trium contractuum doctrinam & praxim ſolemniter reprobavit Sixtus V. Bullâ *Deteſtabilis* anni 1586.* Damnarunt etiam Concilium Medio-

* Damnamus & reprobamus omnes & quoſcumque contractus & conventiones & pactiones poſt hac ineundos, ſeu ineundas, per quos ſeu quas cavebitur perſonis pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum & amiſſionem ſequi contingat ſors ipſa, ſeu Capitale ſemper ſalvum & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque hujuſmodi contractûs

Mediolanenſe, * Conventus Melodunenſis 1578, Concilium Burdigalenſe anni 1583. cap. 29. Eandem uſuræ palliationem cenſuris ſuis proſcripſère Præſules Gallicani in infami Caſuiſtarum Apologiſta, præcipuè Senonenſis cum Pariſienſis Eccleſiæ Vicariis Generalibus. In Patre Colonia è Minimorum Ordine Cardinalis Grimaldi Aquenſis Archipræſul. In Baunio, Pirotio, Amedæo Guimænio Pariſienſis Facultas annis 1641. 1658. & 1664. „ Si contractui ſocietatis ſuperaddantur contractus aſſecurationis capitalis, „ & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum eſt exigere „ lucrum certum, ſalvâ ſorte." De hac propoſitione & aliquot aliis in eundem finem tendentibus, ſic pronunciant Pariſienſes Theologi. „ Doctrina „ harum propoſitionum falſa eſt, ſcandaloſa, inducens ad uſuras committendas, variaſque aperit artes eas palliandi, juſtitiam ac caritatem violan„ di, & à ſacra Facultate jam damnata." Idem docuit eadem Facultas in articulis doctrinæ anno 1717. concinnatis parte 1. articulis 93. & 94. Vide Caſus poſitionem p. 13. 14.

VII. Sic paſſim Theologi, & notanter Eximius D. Huygens Doctor Lovanienſis, quem tamen ſententiæ ſuæ favere prætenſæ ſocietatis Patroni inaniter ſibi blandiuntur: docet enim uſuram palliatam committi, *ſi ineatur contractus ſocietatis, eo pacto, ut illi, qui pecunias tribuit, ſors ſalva ſit; fructus verò communiter dividantur.* Conferentiarum parte V. confer. XI. Quæſt. IV. n. 5.

VIII. Eandem uſuræ palliationem cognitam, rejectamque fuiſſe ſæculis præcedentibus probatum eſt ex teſtimoniis ſancti Gregorii Niſſeni ad Loetoïum, Concilii Nicæni can. 17, Zonaræ & Balſamonis Canoniſtarum inter Græcos celeberrimorum. Theodori Balſamonis verba quæ ibi recitata non fuere hic apponere abs re non erit. „ Quidam Sacerdotes, inquit in „ Can. Nicænum 17, Canonem intelligentes & ipſum circumſcri„ bentes, eique fraudem facientes, verba quidem ſervant, mentem au„ tem negligunt; dant enim nonnullis pecuniam, *& tantam ſe ex lu„ cro partem capturos paciſcuntur, periculum autem agnituros*, hoc eſt in „ ſe ſuſcepturos, *qui eam ſuſcipiunt*; & cum ſint revera fœneratores, ſo„ cietatem tamen verbo prætexunt. *Hoc ergo Canon averſatur, & eos, „ qui hujuſmodi faciunt, deponit.*

E V. DIFFI-

tractus conventiones & pactiones uſurarios & illicitos poſt hac cenſeri debere, atque in poſterum non licere eis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter ſe paciſci & concordare: neque etiam, ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios qui ea recipient, ſortem, ſeu capitale ſalvum & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit vel amiſſum erit, reddendum quovis pacto, aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujuſmodi pactis & conditionibus, diſtrictè interdicimus & prohibemus. Sixtus V. Bulla *Deteſtabilis avaritiæ ingluvies* anni 1586.

* Ne in ſocietate in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri diſtributio conſtituatur, niſi per quotas partes.

Nec ultra eas pecuniarum ſumma vel aliquid conferenti pecuniam perſolvatur.

Neque fiat pactio ut ſors ſalva ſit, fructus verò communiter dividantur. Conc. Mediol. I. tit. de uſuris.

V. Difficultas.

Tam licet locare pecuniam cum lucro reſtituendam poſt aliquod tempus, quàm domum quæ ad terminum elocatur, donec ipſe elocator illâ indiguerit. Quidni ergo dicatur in noſtris contractibus quandam eſſe *locationem*, non mutuum propriè dictum ?

Responsio.

I. „ Uſura eſt quodcumque ſorti accedit. Quod velis ei nomen im„ ponas, uſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis, & cur ve„ lamen obtendis ? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris? " Ita S. Ambroſius de Tobia cap. 14. præclarè admonens non ſufficere ſi nomen rei illicitæ mutaveris. Sicut ergo non eſt ſatis ſocietatis nomen obtendere, aut venditionis & emtionis, ita nec elocationis aut aliud quodcumque. Ubi mutui vera natura, effectus & obligationes remanent, mutuum eſt, illudque uſurarium, ſi ob lucrum fiat.

II. Quod quæſo mutuum non poterit ab uſurario locatio appellari, ut inde lucrum fiat? Non erat igitur cur Scriptura, cur Patres & Concilia lucrum ex mutuo prohiberent. Monendi tantùm erant uſurarii, ut ne mutuum, ſed locationem facere intenderent. Hoc documento facilius certiuſque omne uſuræ vitium ſublatum foret. Beata noſtra tempora ſi tam facili negotio uſuræ iniquitas tollitur! Miſera ſæcula præcedentia quæ hoc neſcierunt!

III. An locatio iſta pauperibus fieri non poterit, adeóque remanebit vitium uſuræ in eo conſiſtens quód pauperes opprimantur? Primùm, ita reditur ad errorem priori Articulo confutatum. Deinde quid vetat quominùs ex pecunia pauperibus data lucrum capiatur, ſi locatio eſt ? Numquid ex domo ipſis locata pretium juſtè exigitur?

IV. Multiplex diſcrimen eſt inter veram domûs locationem & prætenſam locationem pecuniæ, quæ aliud eſſe non poteſt quàm uſura palliata. Non loquimur de vaſis argenteis quæ locari poſſunt ut quælibet alia ſupellex, ſed de ea ſumma pecuniæ quæ debitori datur utenda, abutenda, hoc eſt, in ſuos uſus impendenda. Hanc locari non poſſe plurima oſtendunt.

V. Locator retinet dominium rei locatæ, *Lege non enim ff. locati*, propter quod ad eum pertinet rei ſuæ periculum, ut ſi domus ab hoſtibus, aut fortuitò incenſa fuerit, vel vi tempeſtatis ſubverſa. At creditor non retinet dominium pecuniæ mutuatæ, ſed illud transfert in debitorem cujus propterea eſt periculum : *unde*, inquit S. Thomas, *non debet ampliùs exigere ille qui mutuavit*. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 3.

VI. Præterea res locata uſu fit deterior, unde & reparari ſumtibus proprietarii indiget, quod in mutuo non contingit. Non igitur mirum ſi

ſi locator domûs ſalarium percipit, non autem qui pecuniam dat mutuam ad tempus. Hæ reſponſiones ſunt Fagnani in caput *Naviganti* tom 3. pag. 298. n. 27.

VII. Jus domo utendi ſeparari poteſt à proprietate, ſuamque ſeorſim æſtimationem habet, quia unius alteriuſve anni uſu non omninò conſumitur: è contrario jus utendi pecuniâ in commercio, vel ad emtionem quamlibet ab ejus proprietate & dominio ſeparari non poteſt; quia unico uſu conſumitur, unde ſeparatim æſtimari aut vendi, ſeu locari ſine injuſtitia non poteſt; ſed hoc amplius explicabitur, ubi oſtendetur uſuram ſuâ naturâ injuſtam eſſe, ac neceſſariò juri naturali contrariam.

VI. DIFFICULTAS.

Licet titulo lucri ceſſantis aliquid ultra ſortem exigere; porrò titulus iſte in omnibus ferè noſtratibus, qui reditus iſtos annuos emunt, habet locum. Egent his reditibus ut ſe ipſos ac familiam ſuſtentent. Nulli penes ſe pecuniam otioſam ſervarent. Si reditus non emerent, in alias emtiones lucroſas pecunias exponerent, puta in agrorum vel domorum vel decimarum emtiones, &c. Nulli ſunt Catholici in quibus iſta non obtineant.

RESPONSIO.

I. Non ſatis intelligimus quomodo conciliari poſſint ea quæ uſitatorum contractuum patroni aſſerunt: modò enim, cùm volunt ipſos ſine maxima familiarum perturbatione tolli non poſſe, aiunt nullam aliam rationem eſſe quâ poſſint illæ ſuſtentari, & pecunia utiliter collocari; atque hoc ipſa objectio inſinuat, cum de quibusvis paſſim dicitur: *Egent his reditibus ut ſe ipſos ac familiam ſuſtentent.* Modò, ut lucri ceſſantis titulum ab his contractibus non abeſſe ſuadeant, *ſi reditus*, inquiunt, *non emerent in alias emtiones lucroſas pecunias exponerent, puta in agrorum vel domorum vel decimarum emtiones*, &c. idque de omnibus omninò mutuum dantibus intelligunt, negantes *ullos ſe noſſe catholicos in quibus non iſta obtineant.* Poſſunt igitur omnes pecuniam aliis viis modiſque utiliter collocare; nec tantopere indigent ad ſe ſuoſque ſuſtentandos ſuſpectis ſaltem reditibus, unde apparet parum ſalutis ſuæ ſollicitos eſſe, ſi maluerint periculoſâ viâ ſuſtentationi ſuæ conſulere, quàm aliquâ aliâ facili ſimul & certò legitimâ.

II. Reipſa poſſunt complures negotiationem ipſi per ſe aliquam exercere, quod & Reipublicæ utile eſſet, & vitandis otii, vitæ mollioris ac ſolutioris, ludi frequentioris, potitationis aſſiduæ periculis ſalutare.

Poſſunt alii inire ſocietatem, ex eaque ſi minus certum, at majus lucrum licité expectare ac percipere.

Poſſunt nonnulli ex pecunia quæ in Rempublicam collata eſt nunquam repetenda, reditus percipere.

 Pluri-

plurimi initos cum privatis contractus ita reformare ut abdicent poteſtatem repetendi capitalis, quemadmodum fertur in aliis regionibus frequenter ſub ſimplicibus & privatis Chirographis fieri cum pollicitatione ineundi contractûs ſolemnioris; idque tantò hic facilius eſſe debet, quantò confidentius aſſeritur eos qui mutuam dant pecuniam ita eſſe comparatos, ut nunquam ſortem ſint repetituri, modò canon annuè promiſſus ſolvatur, & de ejus inpoſterùm ſolutione juſta ſecuritas habeatur.

Poſſunt emere agros, domos aliave bona frugifera, quæ ſi diverſis cauſis minus amplum certumve cenſum reddunt, minori etiam pretio emuntur. Sed quid neceſſe eſt ſuggerere quibus aliis viis queat utiliter collocari pecunia? In talibus non torpeſcit humana curioſitas, & filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis.

III. Nolumus, inquient aliqui, quamlibet aliam à ſolitis contractibus viam inire, quia proventus vel minor eſſet, vel incertior, vel laborioſior, vel ſtatum noſtrum, ætatem, conditionem alia via ita dedecet, ut nobis aut inhoneſta ſit aut impoſſibilis, aut certè ab illa animus noſter omninò abhorreat.

IV. Hoc ſi ita eſt, jam allegari ab his non poteſt lucri ceſſantis titulus: nam qui plus ex mutuatario lucri recipit, quàm aliunde facturus erat, evidens eſt eum non indemnitati conſulere, ſed lucrum contra Chriſti prohibitionem ex lucro captare & exigere. Qui nulla alia via uti vellet, aut poſſet, illi nullum lucrum intervertitur ex mutuo, adeóque lucri ceſſantis titulum non habet.

V. Nec ſatis eſt dicere: poſtquam mutuum dedi, non potuiſſem, etiamſi voluntas & occaſio adfuiſſent, utiliter pecuniam collocare.

Quid enim nocet id non poſſe quod nolumus? poteſt ne obeſſe aut inferre aliquod mihi detrimentum civis & amicus meus, qui me ut ſibi adſim rogat & impetrat, eo tempore quo in urbe vicina nundinæ habentur, ſi ante ſtatueram ad nundinas non ire, ne aut à latronibus in via ſpoliarer, aut alia aliqua cauſa quæ nihil commune cum amici negotiis habet? Poſſemne eo titulo ab ipſo lucri ceſſantis indemnitatem poſtulare? Sanè fatentur omnes, qui otioſam pecuniam in arca ſervaturus eſſet, huic non licere prætextu lucri ceſſantis auctarium exigere, quia revera non ceſſat lucrum traditione ejus pecuniæ ex qua nihil quis lucraturus erat.

VI. Legitimus ergo lucri ceſſantis titulus eſt, quatenùs ad indemnitatem refertur, ſed in ſpecialibus circumſtantiis, & cum pluribus cautionibus, quarum aliquæ in Caſûs Reſolutione explicatæ ſunt pag. 12. & 13. Hæ ſi quando concurrant, eſt autem inter negotiatores concurrere facilius, quàm cùm alterius conditionis homines dant mutuum, tunc auctarium ſumere licet, quia non fit ut ex mutuo lucremur, ſed ne propter mutuum lucro aliundè faciendo omninò careamus. Hoc tantùm cavendum ne vel generaliter ad omnes mutuantes titulum hunc extendamus, vel in ſpeciali circumſtantiarum applicatione men-

tiatur iniquitas ſibi, & caſus conſcientiæ non Lex, ſed ut optimo jure conqueritur Illuſtriſſimus Boſſuetus, ipſa cupiditas reſolvat.

VII. Ita pariter docet celeberrimus Canoniſta Z. B. Van Eſpen in præclariſſimo ſuo Opere ad Jus Eccleſiaſticum univerſum parte II. tit. 38. cap. VI. n. 26, ubi ait „ Pontificum ſeu Synodorum in uſurarios „ Decreta, neſcio quem effectum habere queant, aut quo fine edi „ potuerint, ſi omnes qui paſſim hodie à Caſuiſtis proferuntur tituli, „ puta, lucri ceſſantis, damni emergentis, aliique ſimiles ad excuſan- „ das uſuras, ſufficientes ſint. Quis enim adeò ſtupidus fœnerator, ut „ ad evadendam hanc pœnam non poſſit ſaltem lucrum ceſſans ex pe- „ cuniæ mutuatione prætendi, quod uſuris acceptis æquivaleat? Quis „ convinci poterit, nullum ipſi lucrum ob mutuatam pecuniam erep- „ tum, aut damnum obveniſſe, quod aliquo honeſto intereſſe com- „ penſari poſſit? Videant qui hujuſmodi titulos juſtificant, quomodo „ Pontificum & Synodorum Decreta non reddant planè inutilia: & „ an hinc non potiùs concludendum ſit, hoſce titulos ut ſufficientes „ à Decretorum illorum auctoribus agnitos haud fuiſſe " Hæc Clariſſimus Eſpenius; & rectè, contra eos qui aſſerunt titulum lucri ceſſantis in omnibus ferè Noſtratibus habere locum: indubitatum autem eſt, dum titulus ille verè & non fictitiè ſubeſt, indemnitatem peti poſſe.

VIII. Certè ſi quis refuſa pecuniâ paratus eſſet cenſum annuum, quem ipſe ſolvit, extinguere, & ab amico rogatus mutuam ipſi ad annum pecuniam daret, nemo non videt tunc locum habere lucri ceſſantis titulum, ac poſſe dicere: Mihi quidem commodum eſſet, eratque animo deſtinatum cenſum annuum extinguere: verum quoniam id tibi plurimùm profuturum ac pene neceſſarium aſſeris, ut mutuam à me ſumas pecuniam, libenter faciam tuæ utilitatis cauſâ, eâ tantùm conditione, ut tu pro me ſeu mihi ſolvas eundem cenſum quo propter te intereà obligatus maneo.

IX. Idem dicendum, ſi quis in procinctu eſt ut domum ſibi comparet, cujus emtionem rebus ſuis opportunam judicat, & de pretio jam propè convenit, ut res ſtatim finienda videatur. Venit intereà amicus, civis, frater, ut Scriptura loquitur, poſtulans ut ſibi indigenti mutuo ſubveniatur. Erit interdum magnæ charitatis, & ſimul juſti officii mutuam illi pecuniam dare, quâ emenda erat domus, ea lege ut interea ille indemnitati noſtræ conſulat intra eum modum quem æquitas naturalis, & lex civilis præfigit.

Neque *mutui*, neque *u-*

Digitized by Google

planè repugnat. Quod quidem hic paucis evinci neceſſe eſt, ne alii cum illo Scriptore ſentientes ſupervacuum eſſe jactent totum hoc opus quod nunc damus, quoniam æquivoca ibi omnia ipſis viderentur.

Uſuræ nomen æquivocum eſt.

IX. Primùm igitur obſervent fieri omnino non potuiſſe ut Caſûs poſitionis propoſitiones æquivocæ forent. Nam non alia ratione eſſent æquivocæ, niſi quia de uno uſuræ, ſeu lucri ex mutuo genere intellectæ, veræ eſſent; de alio falſæ. Sed ſi ita foret, falſæ omnino eſſent propoſitiones, non æquivocæ; quippe affirmant quamlibet uſuram, quodlibet exactum ex mutuo lucrum à Deo reprobari, adeóque ſi qua uſuræ, ſi qua lucri ex mutuo ſpecies licita fuerit, ipſa ſua generalitate falſæ prorſûs dicendæ erunt, tantùm abeſt ut cuilibet emunctæ naris viro aliquo ſenſu veræ videri debeant.

X. Illud autem diligentiſſimè obſervandum eſt, ſi propterea æquivocas cenſeat propoſitiones noſtras auctor Examinis, quia non diſtinguendo, varias uſuræ, vel mutui, vel lucri ex mutuo ſpecies, pronunciavimus quamlibet uſuram, quodlibet exactum ex mutuo lucrum in culpa eſſe, æquivocas fore Theologorum omnium, Patrum, Pontificum, Conciliorum, Davidis, Ezechielis, Chriſti ipſius propoſitiones, donec exurgeret novus interpres, qui admoneret Chriſtianos illas uno quidem ſenſu veras, altero, in quo ab omnibus accipiuntur, & ſemper acceptæ fuerunt, falſas eſſe; *quod*, ſi vel dicere, vel ſentire impium eſt, quid, quæſo, ambiguitatis in noſtris obſervationibus eſſe poteſt, ubi oracula illa, eâdem, quâ nobis conſignata fuerunt, fide repetimus?

XI. Enimverò ut æquivocæ ſint propoſitiones noſtræ, ſatis non eſt quòd Recentioribus quibuſdam viſum fuerit duas uſuræ ſpecies diſtinguere, quarum alteram licitam putant, alteram fatentur in Scriptura & Traditione prohiberi. Id ſi eſſet, æquivocum foret mendacii nomen, æquivocæ ambitionis, avaritiæ, ſimoniæ, aliorumque vitiorum non paucorum appellationes, quia mendacium quod minimè nocet aliqui approbarunt, alii avaritiam quæ rem alienam non raperet, ambitionem quæ moderata eſſet, ſimoniam, in qua pecunia motivi, non pretii, loco haberetur, ne his quidem nominibus vocari oportere ſtatuerunt.

XII. Quid igitur probandum incumberet iis qui duplicem hodie

die uſuræ notionem ideò invehunt, ut aliquo modo uſurarium eſſe liceat? Hoc nempe, duplex uſuræ genus in Scriptura, aut certè in Traditione, quæ Scripturæ interpres eſt, ita diſtingui, ut aliqua uſura approbetur, quæ ſcilicet pauperes non opprimit, alia condemnetur, non quia eſt lucrum ex mutuo exactum, ſed quia vel modum excedit, vel inopes gravat. Porro nullum umquam reperient teſtimonium quo inauditum hoc in Eccleſia dogma ſtabiliri queat. Fruſtra igitur de æquivocatione conqueri audent, & ſoli ipſi æquivocationem inducunt, qui receptam ubique, ſemper, & ab omnibus uſuræ notionem, ideò immutant, ut uſura, quæ prohibita eſt, jam non ſit exactum ex mutuo lucrum, ſed ſola pauperum oppreſſio. Hinc æquivocæ fiunt ipſorum profeſſiones, ubi, ne chriſtianas aures offendant, atque ut conſcientiam quoquomodo pacatam habeant, aiunt ſe omnem uſuram à Deo prohibitam deteſtari; hoc eſt, eam quam ipſi prohibitam cenſeant: ſed æquivocæ profectò non erunt Scripturarum, Patrum, Conciliorum voces, vel quas inde accepimus, quia earum ſenſus non ex nova illa & illuſoria definitione pendet, ſed ex antiqua, univerſali, & monumentis omnibus, ipſoque quotidiano omnium ſermone conſignata uſuræ notione.

Tract. Brev. Præf. n. 30.

XIII. At falſum eſt, inquiunt, uſuræ notionem apud omnes eandem eſſe, aut ſemper fuiſſe. Nam varias uſuræ definitiones ediderunt Scholaſtici. Sancto Thomæ, uſura eſt ſuperabundantia ex uſu rerum condemnabilis; *Hoſtienſi*, quidquid ſorti accedit præcedente intentione vel pacto; Ariminenſi, lucrum ex mutuo intentum; S. Antonino, lucrum ex mutuo principaliter intentum; Joanni Baptiſtæ Lupo Geminiano, lucrum receptum à creditore pro uſu rei mutuò datæ. Unde negat Scriptor *Tractatûs Brevis* poſſe ſe cogi ad illam agnoſcendam quæ Caſûs poſitionis Auctori placuit. Videat quàm liberaliter cum ipſo agamus. Ex his definitionibus quas probati Theologi protulerint, eligat quam velit, vel novam ipſe componat; ſed ita ut dicendo novè non dicat nova. Uſuram definiat quocumque modo qui à dogmate recepto non diſſentiat: lucrum eſſe dicat ex mutuo; lucrum vi mutui; lucri ex mutuo intentionem aut exactionem; lucrum ex mutuo vel exactum vel principaliter intentum, id eſt, ita ut, ſine lucri ſpe, mutuum datum non eſſet; modò ne ſolus aut ferè ſolus velit contra Eccleſiæ doctri-

nam,

nam, non in hujus lucri ſpe, receptione, exactione; ſed in ſola pauperum oppreſſione, hoc eſt in re uſuræ extraneâ, ſitum eſſe uſuræ vitium. Quid ergo ipſi proderit cavillari circa diverſitatem definitionum quibus alii ipſum lucrum uſurarium, alii peccatum uſuram committentium, ſeu lucrum illud exigentium, aut ſperantium, exprimi voluerunt; cùm omnes in id conſentiant tanquam in dogma apud catholicos certiſſimum, eum uſuræ peccatum committere, qui lucrum ex mutuo exigit? Quid juvabit allegare S. Thomam, quaſi aliquam mutui ſuperabundantiam non cenſuerit eſſe condemnabilem, cùm ille loco citato expreſſè doceat omni ſuperabundantiâ, quæ ex mutuo ratione mutui accidit, liberalitatis ſimul & juſtitiæ debitum modum corrumpi; liberalitatis, quia mutuum ex ipſa ſui natura debet eſſe gratuitum, idque docet Chriſtus; juſtitiæ verò, quia in *mutuo... ubi plus redditur, inæqualitas paritur.*

XIV. Quid non poteſt præoccupati animi affectio? Ipſam mutui vocem æquivocam eſſe cenſet Auctor Tractatûs brevis; *Præcipua*, inquit, *diſputationum circa uſuram cauſa eſt varius intellectus mutui.* Ergone fuit æquivoca mutui notio ad noſtra Præf. n. 24. uſque tempora; neque tamen hoc quiſquam animadvertit, una illa voce res duas diverſiſſimas ab hominibus intelligi? Nullus enim fuit vel Juriſconſultorum, vel Theologorum, vel Patrum, nemo hominum fuit, qui, cùm uſura definiretur lucrum ex mutuo, admoneret æquivocam eſſe mutui vocem.

XV. Primus omnium Scriptor Tractatûs *de la pratique des billets*, libri, ut aiebat Steyartius, à nemine vel approbati vel approbandi, primus, inquam, duplex diſtinxit mutuum, alterum caritatis, quod gratuitum eſſe oporteret, alterum commercii ex quo creditor lucrum percipere legitimè poſſet. Primus docuit, ſi pecunia ad uſum conſumtionis traderetur, hunc uſum vendi non licere; ſi ad uſum accretionis rectè vendi poſſe, quæ ſibi propria facit Auctor *Diſcuſſionis.* Longùm eſſet ea omnia Diſcuſſ. argumenta proferre quibus hæc doctrina ſubvertitur, ſed juſto Pag. 3. Tractatui magis quam Præfationi convenientia. Paucis ea dicemus quæ ſufficiant. Primò omne mutuum, etiam commercii, liberalitatis & caritatis officium eſſe, ſecundùm Theologos ac Philoſophos ipſos, oportet; & Chriſtus ipſe ſine reſtrictione, *Mutuum date*, inquit, *nihil inde ſperantes.* Deinde omne mutuum

tuum ad uſum conſumtionis datur, neque enim ipſi negotiatori pecunia prodeſſe, niſi alienetur, poteſt. Tertiò reipſa idem eſt inopi vitam pecuniâ mutuò ſumtâ ſuſtentare, quod mediocri mercatori officinam vel erigere, vel ſuſtentare, cujus lucro victitat; & divites ipſos magnopere ſæpe coarctari fatentur ipſi quos confutamus Scriptores, niſi ipſis mutuo ſubveniatur. Quartò, ſive ad uſum conſumtionis, ſive ad incrementum fortunæ adhibenda ſit mutuò data pecunia, eodem modo in debitorem transfertur pecuniæ dominium. Pariter ergo iniquum eſt alterutrum uſum debitori vendere. Quintò reprobat Ambroſius uſuram ex pecunia, quâ dives adoleſcens emit prædia frugifera; damnat Hieronymus ſuperabundantiam ex modio frumenti qui ſatus decem modios fecit; accuſat Nyſſenus fœneratorem de reditu illarum navium ſollicitum, ex quibus & ſortem & ſortis acceſſionem exſpectat. Sextò, etſi de mutuo divitibus dato expreſſè non loquerentur SS. Patres, ſufficeret quòd generatim omne ex mutuo lucrum condemnent, ut ne hac in re diſtinctioni locus ſit. Aliud ſit mutuum caritatis, aliud commercii: alius ſit uſus conſumtionis, alius accretionis; non propterea æquivocum eſt mutui nomen, ſed, ut Logici loquuntur, univocum, quia ſemper idem generatim ſignificat, nempe quòd ad tempus concedatur uſus ejus rei, quæ non ipſa redditur, ſed ſimilis qualitate, quantitate, valore; nec æquivoca eſt regula quæ generatim prohibet ex quolibet mutuo lucrum captare vel exigere.

Vera contractûs mutui notio à Juriſconſultis meritò repetitur. Tract. pag. 24.

XVI. Hîc repellenda eſt argutia, quâ conqueritur Auctor *Tractatûs Brevis* notionem mutui nos à Juriſconſultis accepiſſe, non ab ipſa Scriptura. Cenſet igitur Auctor neſciviſſe Juriſconſultos quid eſſet mutuum; quod idem eſt ac ſi diceret neſcire Mathematicos quid ſit circulus, neque poſſe rectè de mendacio diſputari ab eo qui non ab ipſa Scriptura mendacii definitionem repetierit. Quaſi verò ſollicita ſit Scriptura de his rebus definiendis, quas communi ſermone omnes uſurpant, & uniformiter intelligunt. Quid ſit mutuum, quid uſura, quid locatio, conductio, venditio, quid matrimonium, fornicatio, adulterium, & cetera ejuſmodi, abſque Scripturæ auctoritate, ſatis intelligit hominum genus. At quid de his ſentiendum ſit, ex Philoſophia aliquatenùs, ex revelatione pleniùs firmiùſque edocemur. Sic Chriſtus ſuppoſuit nos optimè ſcire quid eſſet mutuum, ac ne mu-

mutuum, quod per ſe caritatis officium eſt, in negotiationem verteremus, admonuit, *Mutuum date*, inquiens, *nihil inde ſperantes.*

XVII. At, inquit Auctor *Tractatûs Brevis: In ſenſu ſacræ Scripturæ per mutuum etiam intelligitur equus, currus, &c. Atqui ex tali mutuo aliquando licet accipere lucrum. Ergo in ſenſu ſacræ Scripturæ falſum eſt quòd omne lucrum ex mutuo ſit uſura à Deo damnata.* Huic argumento reſponſum fuit in ipſo opere quod proferimus, mutuò quidem, ſed potius commodatò dari poſſe equum & currum; ſed cui hæc mutuò data fuerint, ab eo pretium ſine injuſtitia exigi non poſſe; ita inhæret ſeu mutui ſeu commodati naturæ, quòd debeat eſſe gratuitum. Lucrum ergo ibi non ex mutuo, vel commodato fieri poteſt, ſed ex locatione, quæ, ut pluriès probatum eſt, circa pecuniam quæ utenda, abutenda, debitori datur, locum omnino non habet, quia tunc pecuniæ dominium ad debitorem transfertur, ut in Iterata Diſcuſſione breviter, ſed efficaciter eſt demonſtratum, tum auctoritate Juſtiniani, tum etiam ratione.

Tract. Brev. Ibid.

Vide pag. 67. & 68.

Iterata Diſcuſſ. pag. 16.

XVIII. Auctoritatem ne attigit quidem Tractator Brevis, fortaſſe quòd in his quæ propria Juriſconſultorum ſunt, iis non magis credit quàm Theologis in re Theologica. Rationem convellere nititur. Contendit primùm malè probari quòd ad debitorem tranſeat pecuniæ mutuò datæ dominium, *ex eo quòd res perit Domino, & illi iſta pecunia periret.* Oculatior ergo eſt Theologis & Juriſconſultis omnibus; quod qui de ſe credit, neceſſe ſaltem eſt ut argumenta opponat longè validiſſima. Talia cenſet quæ ducit ex Scriptura, ex Jure canonico, atque, ne quid deſit, ex ipſo Jure civili. Primùm Exodi XXII. 14. *Qui à proximo ſuo* aſinum, bovem, equum, *quidquam horum mutuò poſtulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit, Domino non præſente, reddere compellatur.* " Itaque Domino abſenti non „ perit mutuò datus aſinus. Atqui tamen Dominus abſens ma- „ net rei ſuæ Dominus. Ergo res non perit ſemper Domino „ ſuo." Reſponſio facillima eſt perire rem Domino ſuo, ita tamen ut ſi quis damnum intulerit, illud ſarcire teneatur. Itaque aſinus perit Domino commodanti; ſed quia ſupponit Exodi lex animal ejus culpâ debilitatum, aut mortuum, cujus in manibus erat, idcirco ille ad ſolvendum pretium cogitur. E contrario ſi

Rei mutuò datæ dominium ad mutuatarium tranſit.

 mor-

mortuus fuerit aſinus, præſente Domino, pretium non reddet is cui commodatus fuerat, quia ſupponitur Dominus, qui præſens fuit, minimè toleraturus fuiſſe, ut aſinus nimiùm oneraretur, aut urgeretur ad currendum, aut neceſſario cibo fraudaretur, aut ullo alio modo ad necem adigeretur, quod ſi, eo præſente, factum ab eoque toleratum fuerit, ſibi debet imputare. Scimus quidem aliter accidere potuiſſe, ſed jura id ſupponunt quod plerumque contingit; propterea eo in caſu animal ſolvere tenetur is, cui commodatum fuerat, in quo præſumitur mortis auctor fuiſſe. Eàdem reſponſione ſolvitur id quod ſtatuitur Digeſtis Libro XVI. titulo III. & Extra de *Commodato* depoſitarium ob dolum culpamve ad reſtituendam rem perditam teneri poſſe. Nam ſimiliter res depoſita Domino perit, ſed indemnem eum præſtare tenetur depoſitarius cujus culpâ dolove illa periit.

Verùm longe aliter eſt de debitore cujus in manibus ſi pecunia perierit, etiam fortuitò, abſque eo quòd ullus ejus dolus, ulla culpa etiam leviſſima intervenerit, tenetur tamen ad reſtituendam ſimilem ſummam ex natura contractûs mutui; quod certè non aliunde eſt niſi quòd res perit Domino, is autem pecuniam mutuam ſumendo ejus dominus factus eſt. Nam quod ait Auctor *Tractatûs Brevis*, pacto fieri poſſe ut pecunia ipſi non pereat, quàm verum eſt, tam quæſtioni noſtræ dijudicandæ ineptum: neque enim argumentatio noſtra eo principio nititur, quòd res ſemper Domino pereat, ſed quòd id dominio per ſe connexum ſit, niſi pacto ſpeciali aliud caveatur.

Ibid. XIX. Altero argumento uſi eramus, dominium nempe penès eum eſſe cui jus ſit re ad libitum uti, ita ut eam poſſit dare, commercio exponere, ad comparandos ſibi aut alteri cibos inſumere, non minùs liberè quàm eis quæ ad ſe hæreditario jure venerunt. Quod cùm poſſit facere mutuatarius, ſequitur pecuniam mutuò acceptam ejus in dominium tranſiiſſe. Negat quoque Tractator noſter hoc argumento quidquam probari, quia, inquit, æquivoca eſt hæc propoſitio, *Dominus rei eſt qui de illa pro arbitrio ſuo ſtatuere poteſt.* Quod ut evincat, famulum ſupponit & ſocium, quorum alteri Dominus, alteri Socius pecuniam credidit negotiationi impendendam. Nam uterque pecuniam pro arbitrio impendit, inquit, cùm neuter ſit pecuniæ Dominus. Hæc cùm ſcriberet *Tractatûs* Auctor potuitne non videre

pag. 68.

Digitized by Google

dere id quod ſenſus communis dictat, quantùm ſit diſcriminis inter ſervum aut ſocium, & debitorem qui mutuum ſumſit. Illi pecuniâ, niſi ad negotiationem, uti non poſſunt, idque vel non ſuo, vel non ſolo ſuo nomine, non ſibi, aut certò non ſibi ſolis, unde & rationes reddere coguntur alteri tanquam Domino, & ſi ſine culpâ ſuâ pecunia perierit, eam refundere non tenentur: hic pecuniam donare poteſt, in luxum impendere, otioſam in arca relinquere, ex ea agros, domumve comparare, filiam nuptui tradere, uno verbo quidquid placuerit. Falſum igitur eſt famulum de pecunia ad libitum diſponere, unde nihil mirum eſt, ſi nec dominus pecuniæ eſſe dicatur: æquivocum ſaltem de Socio, unde non niſi partim pecuniæ dominus eſt. At debitorem pecuniæ mutuatæ dominum fieri tam evidens eſt ut nihil magis. Et tamen talibus argutiis putat Tractator Delphenſis à ſe devictos confutatoſque eos qui cum univerſo hominum genere ſentiunt, dum ſolus ſuis ſe phantaſmatibus paſcit.

XX. Non minùs lepidum eſt quod affirmat, etiamſi paulisper gratis, (imò, auctoritate ac ratione convictus) dederit quòd pecuniæ dominium in debitorem transferatur; non tamen propterea iniquum eſſe ex dicta pecunia aliquem reditum exigere. Et tamen fatetur iniquum eſſe ex re aliena aliquid lucri exigere. Quomodo ergo non erit iniquum te ex uſu pecuniæ quæ alterius facta ſit, lucrum captare? *Quia*, inquit, *non ex re aliena*, *ſed ex obligatione quam contraxit mercator accipiendo rem alienam*, *reditus ille ſolvitur*. Quærere liceat quo pretio emtus fuerit reditus ille? Pecuniâ proculdubio. Sed ſi pecunia pro reditu emendo data eſt, quare ergo & reditus per aliquot annos, & poſtea pecunia ipſa repoſcitur? Annon hoc idem eſt ac ſi traditâ pro equo emendo pecuniâ, primùm tibi equum tradi, deinde reddi pecuniam exigeres? Neceſſe eſt igitur ut dicas pecuniam pro pecunia rependi, reditum pro uſu pecuniæ: unde remanet ut ſi pecunia in debitoris dominium tranſiit, reditum pro uſu rei quæ ſua eſt, non tua, tibi ſolvere teneatur: quo quid iniquius? Sed hæc latiùs ultimâ operis quod nunc exhibemus, Sectione, cui tamen hæc addi oportuit ne rationes ejuſmodi, ſi non eſſent ſeorſim diſcuſſæ, invictas Auctor crederet, & fortaſſe aliis eſſe perſuaderet. Ibid.

XXI. Non majoris ipſi præſidii erit, imò ipſius jugulum pe- Præf.

** 3 tit, num. 24.

Datio pecuniæ ad tempus etiam diviti, verum mutuum eſt.

tit, quod allegat mutuum, ſecundùm ſanctos Doctores, humanitatis & liberalitatis officium eſſe, unde colligit ſi pecunia ad tempus diviti detur utenda, abutenda, mutuum non eſſe; cùm debuiſſet, ex ſenſu communi agnoſcere id eſſe mutuum, & ex Patrum doctrina concludere, mutuum quodcumque ſeu pauperi ſeu diviti datum, in lucrum legitimè verti non poſſe. Nec tamen ſolus eſt qui ex his, ubi docemur gratuitum mutuum ſuâ naturâ eſſe, argumentetur, ut ſibi reipſa liceat ex mutuo lucrum exigere. Mutuum, inquiunt nonnulli, gratuitum eſt; ergo nos qui pecuniam ad lucrum damus, mutuum non damus, adeóque nec uſuram committimus, quæ eſt lucrum ex mutuo. Quod genus ratiocinii, ſi valeat, hoc effecerunt ut uſuræ peccatum fruſtra ſit prohibitum, cùm à nemine unquam committi poſſit aut potuerit. Quid enim eſt uſura niſi lucrum ex mutuo exactum, aut principaliter ſperatum? Porro ubi mutuum eſt, lucrum eſſe nequit, quia contractus ille eſt neceſſariò gratuitus; ubi lucrum percipitur, jam non eſt mutuum. Ergo fieri omnino non poteſt, ut quis uſurarius ſit. Quaſi difficile ſit intelligere mutuum naturâ ſuâ gratuitum dici, quia tale eſſe oportet, & niſi fuerit, violatur regula æquitatis in ipſâ mutui naturâ fundata.

Exam. pacif. p. 56.

Implicitæ ſocietatis nomine mutuum fruſtrà contegitur.

XXII. Quid ergo erit pecuniam ad tempus dare utendam, abutendam, cum onere tantumdem reddendi, ſi mutuum non eſt? Quid lucrum ex tali contractu, ſi non eſt uſura? Nam quod ait Tractator * eſſe implicitam in tali reditu ſocietatem, ſic alibi † refutatum eſt, ut hìc iterum examinari opus non ſit.

* Tract. Brev. pag. 68.

† Caſus Polit. pag. 8. 9. 10. Append. pag. 28. 29. 30. 31.

XXIII. At tantò inanior eſt ille prætenſæ ſocietatis prætextus, quo lucrum ex mutuo excuſare conantur; quòd neque in praxi, neque etiam in doctrinæ ſuæ expoſitione & defenſione lucri exactionem ad eos caſus limitent, in quibus ex pecuniâ mutuò datâ mercator alioqui dives negotiationem cum lucro majore exercet. Sive lucretur debitor, ſive damnum patiatur; ſive pecuniam negotiationi exponat, ſive in delicias, aut in familiæ ſuſtentationem; ſive mercator ſit, ſive nobilis aut magiſtratum gerens, & vitam degat omnis negotiationis expertem; ſit Eccleſiæ miniſter; ſit vidua, aut virgo perpetuo cælibatui addicta; uno verbo, modò ne inops mutuum danti videatur, licere volunt ex pecunia quam mutuam ſumit, modicum lucrum exigere. Quid igitur ſocietatem memorant? Quid lucri ceſſantis aut damni emergen-

tis

tis titulum, aliave hujuſmodi, quæ nec perpetuò ibi locum habent, neque ab ipſis ad contractuum juſtitiam requiruntur?

Auctor Tractatûs brevis *caſum* fingit & proponit reſolvendæ quæſtioni nequaquam idoneam.

XXIV. Propterea nobis hærendum in eo non fuit ut Caſum examinaremus ab Auctore *Tractatûs Brevis* in Præfationis fine ſic propoſitum, quaſi circa eum verteretur diſputationis cardo. Illum ita contexuit ut ea omnia adjiceret quibus excuſari poſſe lucri exactio videretur. Sed quò plura hujuſmodi accumulavit, eò minùs ſimilem his qui iniri ſolent, contractum exhibuit. Potuit ergo ex tali caſu, ſi vellet, argumentari, ut probaret non ſemper illicitum eſſe quodlibet ex mutuo lucrum; & facilis reſponſio fuiſſet, ſi, ut ſupponitur, Petro damnum ex mutuo exoritur, id quod ultra ſortem recipiet, non lucrum ex mutuo, ſed indemnitatem fore. Verùm haud bonæ fidei fuit quæſtionem in eo conſtituere an talis contractus iniri legitimè poſſet. In eo caſu ſolo ſi hærere voluiſſet Auctor *Tractatûs Brevis*, quid opus ipſi fuiſſet ea circa uſuram principia negare quæ ad fidem Eccleſiæ ab omnibus referuntur?

XXV. Fruſtra igitur coacervat novus Caſuiſta eas circumſtantias quibus plauſibilis fiat acceſſio ad ſortem, ſi quidem ubique ſufficere judicat, ſi neque fraus reperiatur, neque oppreſſio. Fruſtra ſupponit creditorem partim opificio, partim 150. florenorum reditu, ſe ſuamque familiam ſuſtentare. Quid enim ſi is neque opificium exerceat, neque 150. florenorum reditu victitet, ſed in bonis habeat decem florenorum millia? Minúſne ipſi licebit ex pecunia mercatori tradita lucrum capere? Eccur ſupponit velle Petrum eam, quam habet, pecuniam in domûs, aut fundi, aut reditûs perpetui emtionem impendere, & quotidie adeſſe occaſionem id faciendi? Quid ſi nec talis voluntas adſit, nec opportunitas? Annon tantò magis permittet lucrum ex mutuo, quia unica illa via erit familiam ex 150. florenorum reditu ſuſtentandi? Supponit à mercatore ſumi mutuum, quid ſi à presbytero, à vidua, à communitate, à quolibet non negotiante? An propterea prohibebit lucrum exigi? Supponit mercatorem eſſe divitem centum millibus florenorum. Quid ſi mutuum ſumat ad mediocrem & tantùm non inopem officinam, vel exſtruendam, vel utcunque ſuſtentandam? Supponit debitorem *ſine ullo incommodo* carere poſſe pecuniâ quam mutuam ſumit? Quid ſi ſit ex illis qui divitiis abundant, & tamen, ut ipſe

e Præ-

Præfationis numero 1. confitetur, niſi ſub tali reditu pecuniam acciperent, *Non exiguis incommodis & damnis afficerentur?* Idem de ſingulis penè circumſtantiis dici poteſt, quas commemoratas apparet, non ut licitum lucrum ab illicito ſecerneretur, ſed ad diſſimulandam lucri, quod fieri ſolet, iniquitatem.

Appendicis pag. 27.

XXVI. Et verò quid opus fuit fingi caſum novum? Tales nos expoſuimus contractus quales reipſa ineuntur. Formam edidimus non ad arbitrium effictam, ſed qualis typis edita à pleriſque frequentatur. Nemo dicere auſus eſt aliter à nobis caſum propoſitum fuiſſe, quàm fieri ſoleat. Quid igitur tentant quæſtionis ſtatum, aut diſſimulare, aut mutare? Quòd ſi ſincerè vellent prævaricationi obſiſtere, & veram conſcientiæ pacem divinæ legis obſervatione afferre, ii potiùs caſus exponendi erant & damnandi, in quibus uſuram eſſe à Deo prohibitam nemo diffiteri poteſt; tum alii caſus proponendi fuiſſent in quibus uſuram eſſe nullam, ſed legitimum aliquod lucrum facilè omnes conſentiunt; ac tandem deveniendum ad examen eorum circa quos dubitatio aliqua eſſe, & ſententiarum diverſitas poteſt. Hoc ut fieret ſemper optavimus, ac propterea proponimus certam Eccleſiæ de uſura ſententiam, ut ex indubitatis principiis, ſi qua dubia ſunt, reſolvi poſſint, & quæ certò ſunt injuſta, unanimiter reprobentur.

Principia ipſa in dubium vocari non poſſunt, neque circa ea deponi debent præjudicia.

Tract. Brev. pag. 69.

XXVII. Verùm de principiis ipſis non aliter agendum eſt quàm ut oſtendamus ea in dubium revocari non poſſe: unde locum nullum habet quòd hîc nos admonendos ducit Tractator Delphenſis, & alii optare videntur, *Ut præjudicia quæ ab ineunte ætate contrahere potuimus, deponere conemur.* Sunt ſanè præjudicia quædam ad examen revocanda atque deponenda, quæ nempe ex conſuetudine hominum legi Dei, & Eccleſiæ dogmati opponuntur. At ſunt præjudicia legitima quibus antè examen mens in veritatis cognitionem deducitur, qualia ſunt quæ primo hujus operis articulo protulimus. Hæc abſit ut *deponere conemur.* Amens ſit & impius qui velit ea præjudicia deponere quibus ab infantia ad honeſtam & piam vitam præformatus animus eſt, naturæ inſtinctu, parentum inſtructione, magiſtrorum curâ. Præjudicia ſunt, quia ante animum noſtrum ſubierunt quàm examinare poſſemus; ſed legitima, atque omnino retinenda; quæ ſi quis diligenter examinarit, non refragandi,

gandi, ſed obfirmandi obſequii cauſâ, quò profundiùs ſcrutatus fuerit, eò certiora eſſe reperiet. Ita omninò iſta catholicorum hominum præjudicia tenenda ſunt, quibus in ipſis catechiſmis edocti ſunt uſuram omnem à Deo prohiberi, & omnem lucri ex mutuo exactionem, uſuram eſſe. Hæc pueri didicimus, hæc ſenes nos tenere oportet, quia ita ubique docet Eccleſia. Felicitatis noſtræ pars eſt quòd hæc ante examen certa habere edocti ſimus. Examinet illa cui vel in Eccleſia educari non contigit, vel in ipſo Eccleſiæ ſinu ignota ſunt, ſi tamen ignotum eſt, quid Eccleſia ſentiat. At nobis, qui ſcimus quid illa doceat, neque examine opus eſt, neque examinare eo animo licet, ut quæ certâ fide tenentur, in dubium revocemus. Neque verò ſi à quopiam talia agitentur ut dubia, debet nos dimovere à firma fide alicujus hæſitatio vel temeritas, quoniam non fit incertum quod docet Eccleſia, ſi à quoquam, ſeu extra Eccleſiam, ſeu in ipſa negetur Eccleſia. Sed " in ipſa catholica „ Eccleſia, magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubi- „ que, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt „ enim verè propriéque catholicum. Vinc. Lirin. Comm. cap. 3.

XXVIII. Porrò tale dogma eſt, uſuram omnem, ſeu quamlibet lucri ex mutuo exactionem, à Deo reprobari, eſtque illud dogma tantò certius, quòd ne à prævaricatoribus quidem, aut à mollioribus Caſuiſtis, quorumlibet peccatorum patronis, negatum unquam fuerit. Antiqua prævaricatio eſt, error recentiſſimus, circa uſuram ut circa ſimoniam. Utramque homines ſemper exercere, adeóque & palliare amarunt, quia nomen odioſum erubuerunt, cùm lucri eſſent cupidi. Sed non minùs à fide Eccleſiæ alienum habitum eſt, ſi quis uſuram defendere auderet, quàm ſi ſimoniam; neque alio pacto aggreſſi ſunt quidam contractus reipſa uſurarios tueri, quàm ſi aliquem alium titulum prætexentes negarent ibi lucrum ex mutuo, ſeu vi mutui percipi. Sic fictum ſocietatis, aut emptionis & venditionis prætextum alii prætulerunt, alii legitimis lucri ceſſantis & damni emergentis titulis abuſi ſunt, alii periculum ſortis, quòd ferè ſemper interveniat, excogitaverunt. Uſuram aliquam licitam eſſe, aut aliquod lucrum ex mutuo percipi poſſe, ante hæc noviſſima tempora, nemo dicere auſus fuit.

XXIX. Ceterùm hic locus non eſt examinandi an & quomo-

*** do

do tituli illi legitimi eſſe poſſint; qua de re videri poſſunt Theologi: neque enim hîc omnia expendi neceſſe eſt aut convenit; cùm ne ſecundam quidem hujus Operis partem nunc dandam eſſe cenſeamus. Quippe ſperamus tantùm valitura apud cordatos quoſque ea quæ hîc proponimus, atque omni argumentorum genere confirmamus principia, ut locus futurus non ſit objectionibus; præter quàm quòd pleræque tam in Appendice ad Caſûs poſitionem, quàm in præſentis operis decurſu propoſitæ ſint & refutatæ. Et, ſi fortè neceſſe fuerit alias diſſolvi, id meliùs utiliúſque fieri poterit, poſtquam unuſquiſque ea expoſuerit quibus moveri ſe ad dubitandum ſentiet.

28. *Auguſti* 1730.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

PRÆFATIO.

Operis hujus edendi neceſſitas. pag. III
Hoc opus meritò inſcribitur Dogma Eccleſiæ. IV
Dogma ipſum à nonnullis rejicitur. ibid.
Neque mutui, *neque* uſuræ *nomen æquivocum eſt.* VI
Vera contractûs mutui notio à Juriſconſultis meritò repetitur. X
Rei mutuò datæ dominium ad mutuatarium tranſit. XI
Datio pecuniæ ad tempus etiam diviti, verum mutuum eſt. XIV
Implicitæ ſocietatis nomine mutuum fruſtra contegitur. ibid.
Auctor Tractatûs brevis caſum fingit & proponit, reſolvendæ quæſtioni nequaquam idoneum. XV
Principia ipſa in dubium vocari non poſſunt, neque circa ea deponi debent præjudicia. XVI

Dogma Eccleſiæ circa uſuram.

PARS PRIOR.

Stabilitur Eccleſiæ Dogma circa uſuram. p. 3

ARTICULUS I.

Via præſcriptionis oſtenditur quodnam ſit Eccleſiæ Dogma circa uſuram. Ibid.

ARGUMENTUM I. *ex novitate deſumptum.* p. 4
ARGUMENTUM II. *ex concilii Niceni definitione.* 9
ARGUMENTUM III. *ex concilio Vienenſi.* 13
Reſpondetur difficultatibus propoſitis ab Auctore Diſcuſſionis. 15
ARGUMENTUM IV. *ex præſenti Eccleſiæ fide.* 23
Rovenius. 24
S. Facultas Lovanienſis. 25
Concilium Mechlinienſe. ibid.
Eſtius. 26
Sylvius. ibid.
Malderus. 27
Sinnich. 28
Wiggers. 28
De Cocq. ibid.
Neeſen. 29
Henricus à S. Ignatio. 30
S. Facultas Pariſienſis. ibid.
Natalis Alexander. 31
Merbeſius. 32
Moralis Gratianopolitana. 33
Habert. ibid.
Juénin. 34
Arnaldus. ibid.
Nicolius. ibid.
P. Queſnel. 35
Eccleſia in Anglia. 36
S. Facultas Colonienſis. ibid.
Becanus. 37
Valentia. ibid.
Toletus. ibid.
Molina. 38

Leſſius. 38
Catechiſmus Romanus. 39
Catechiſmus Montiſpeſſulani. ibid.
Heſſelius. 40
Huygens. ibid.
Backx. 41
Lambert. 42
Cardinalis le Camus. ibid.
Cardinalis Grimaldi, 43
S. Carolus. 44
Concilium Bituricenſe. ibid.
Gerſon. ibid.
S. Antoninus. 45

ARGUMENTUM V. *Ex cenſuris tum Romanorum Pontificum, tum aliorum præſulum.* 48
Cenſura Cardinalis le Camus contra Andream de Colonia. 49
Alexander VII. 51
Innocentius XI. ibid.
Cleri Gallicani cenſura anni 1700. 53
Cenſuræ contra Apologiam Caſuiſtarum. 54
Reſpondetur ad objectiones Theologi Brabantini. 57
Prima objectio. ibid.
Secunda objectio. 59
Cenſura contra librum Amadæi Guimenii. 61

ARTICULUS SECUNDUS.

Via diſcuſſionis oſtenditur, quid ſit de uſura ſentiendum. p. 65.

SECTIO PRIMA.

In qua varia Scripturæ loca diſcutiuntur. Ibid.

PRIMA PROPOSITIO.

Nuſquam Lex Moſaica uſuræ exigendæ prohibitionem ad pauperes reſtringit, imò nec ad indigenas, ſi rectè intelligatur. 65
§. I. Ex libro Exodi. ibid.
§. II. Ex Levitico. 68
§. III. Ex Deuteronomii XV. & XXVIII. 70
§. IV. Ex Deuteronomii XXIII. 75
§. V. Ex eodem capite Deuteronomii XXIII. *Quatenus erga alienos uſura permitti videtur.* 80
§. VI. *De Regula interpretationis Scripturarum.* 86
§. VII. *Generalis obſervatio circa litteram & ſpiritum legis.* 88

SECUNDA PROPOSITIO.

Omnis uſura reprobatur in Pſalmis, Proverbiis & Prophetis. 91
§. I. Ex Pſalmis. ibid.
§. II. Ex libro Proverbiorum. 93
§. III. Ex Propheta Ezechiele. 102
§. IV. *Obſervatio circa commercium Judæorum.* 105

TERTIA PROPOSITIO.

Uſuram omnem Chriſtus reprobat in novo Teſtamento. 107
§. Unicus. Ex Lucæ VI. Capite. ibid.
Reſpondetur ad objectionem ex Merbeſio petitam. 113

SECTIO SECUNDA.

Traditionis Eccleſiaſticæ circa uſuram Teſtimonia diſcutiuntur. 117

PRIMA PROPOSITIO.

Sancti Patres *uſuram omnem abſque diſcrimine conſtanter reprobaruut.* 117
§. I. *Quid ſit uſura ſecundum Patres.* 118
§. II. *Uſura ipſa cum effectibus uſuræ confundi non debet.* 119
§. III. *Ubi damnoſos uſurarum effectus, quibus pauperes opprimuntur, Patres graviter exponunt & de-*

deplorant, divinæ legis applicatio eſt, non reſtrictio. 120
§. IV. Legis quæ prohibet uſuras nulla eſt apud Patres reſtrictio, ne iis quidem locis ubi fideles reſtrictionis hujus, ſi qua eſſet, monitos eſſe maximè oportuerat. 122
§. V. Duplex uſuræ genus, alterum quidem illicitum, licitum alterum, apud Patres inauditum eſt. 123
§. VI. Si quando Patres, cùm de prohibitione uſurarum agitur, de Clericis expreſſiùs loquuntur; divinæ legis applicatio eſt, non reſtrictio. 124
§. VII. Legem quæ prohibet uſuras non modò Patres non reſtringunt ad pauperum oppreſſionem ſolam, ſed ad eos etiam caſus extendunt, ubi nulla eſt oppreſſio. 126
S. Juſtinus. 127
Tertullianus. Ibid.
Diſcutiuntur quatuor momenta quibus Auctor Tractatûs brevis locum hunc Tertulliani eludere conatur. 131
S. Clemens Alexandrinus. 137
Satisfit nonnullis difficultatibus quas proponit Auctor Tractatûs brevis. 139
Origenes. 141
S. Cyprianus. 142
Lactantius. 144
Satisfit objectionibus. 145
Euſebius Cæſarienſis. 146
S. Athanaſius. 147
S. Hilarius. 148
S. Baſilius. 150
Examen eorum quæ contra objiciuntur ab Auctore Diſcuſſionis. 153
S. Gregorius Nyſſenus. 159
S. Gregorius Nazianzenus. 165
S. Chryſoſtomus. 166
Auctor operis imperfecti in Matthæum. 174
S. Ambroſius. 176
§. I. Quid ſit mutuum ex S. Ambroſio. ibid.
§. II. Mutuum, ex mente ſancti Ambroſii, debet eſſe omnino gratuitum. 179
§. III. Quænam ſit vera uſuræ notio; ſeu quodnam ſit proprium illud ac peculiare vitium, quod ſanctus Ambroſius, aliique Patres uſuram appellant, & ſub eo nomine deteſtantur. 180
§. IV. S. Ambroſius uſuræ notionem à lucro ſortem excedente repetit. 183
§. V. Uſuræ notionem ab incremento ſortis eſſe repetendam probatur ex iis quæ S. Ambroſius de uſura ſpiritali fusè diſſerit. 187
§. VI. Uſuræ vitium ab incremento fœnoris eſſe repetendum probatur variis comparationibus quibus utitur S. Ambroſius, unde etiam concluditur uſuram eſſe contra legem naturalem. 189
§. VII. Ambroſius quodlibet fœnoris incrementum, vel mutui, à quolibet homine, etiam divite, perceptum, prorſus condemnat. 191
§. VIII. Sancti Ambroſii temporibus commercium erat in imperio Romano florentiſſimum. 196
§. IX. A reprehenſione fœnoris abſtinere non debet Epiſcopus, eò quod fœnerare non ſit aliquid novum, & nonnulli obmurmurent. 198
S. Hieronymus. 201
Variis adverſariorum objectionibus ſatisfit. 207
S. Auguſtinus. 217
S. Paulinus. 225
Sulpicius Severus. ibid.
S. Cyrillus Alexandrinus. 226
Theodoretus. 227
S. Leo. ibid.
Salvianus. 229
S. Petrus Chryſologus. 231
Apollinaris Sidonius. ibid.
Deſideratus Epiſcopus Virdunenſis apud S. Gregorium Turonenſem. 236
S. Gregorius Magnus. 240
Antiochus. 243
Beda. 244
S. Joannes Damaſcenus. 246
Nicephorus. ibid.
Halitgarius. ibid.
Paſchaſius Ratbertus. 247
Theodulphus Aurelianenſis. ibid.
Rodulphus Archiep. Bituricenſis. 248
Remigius Autiſſiodorenſis. 249
Atto Vercellenſis Epiſcopus. ibid.
Petrus Damiani. 250
Theophylactus. ibid.
Hildebertus. 251
S. Bruno. ibid.
S. Anſelmus. 252
Petrus Bleſenſis. 253
S. Bruno Aſtenſis. 255
S. Bernardus. 256

PROPOSITIO SECUNDA.

SACRI CANONES CONCILIORUM tum particularium, tum etiam generalium ſine ulla exceptione omne lucrum ex mutuo, ſeu uſuram quamlibet condemnant. 258

§. I. *Ex Canonibus Apoſtolicis.* 260
§. II. *Ex aliis Canonibus Nicæno Concilio antiquioribus.* 263
Concilium Eliberitanum. ibid.
Arelatenſe I. 266
Laodicenum. 267
§. III. *Ex Canone Nicæno.* 268
§. IV. *Reſpondetur difficultatibus à Theologo Brabantino circa Concilium Nicænum propoſitis.* 269
Quid ſit turpe lucrum. n. XII. 274
Quomodo Nicænus Canon in oriente & occidente intellectus fuerit. n. XX. 279
§. V. *Ex Codicis Africani Canonibus.* 284
Carthaginenſe I. ibid.
Carthaginenſe anni 419. n. V. 286
Hipponenſe. 289
Carthaginenſe III. 290
Carthaginenſe IV. 293
§. VI. *Ex Conciliis ſeculorum V. & VI.* ibid.
Arelatenſe II. ibid.
Turonicum. 295
Agathenſe. 297
Tarraconenſe. ibid.
Aurelianenſe III. 298
Capitula Martini Bracarenſis. 299
§. VII. *Ex Conciliis ſeculorum VII. VIII. & IX.* 300
Trullanum. ibid.
Toletanum. XVII. ibid.
Chalcutenſe. ibid.
Capitularia Regum Francorum. ibid.
Concilium Moguntiacum. 302
Remenſe. ibid.
Cabillonenſe II. ibid.
Aquiſgranenſe. 303
Hayto Baſilienſis. 304
Concilium Pariſienſe VI. ibid.
An D. Gaitte hic inſignis fraudationis *reus ſit, uti vult auctor Tractatûs brevis.* 305
Concilium Aquiſgranenſe II. 308
Olonenſe. 309
Meldenſe. ibid.
Collectio Benedicti Levitæ. ibid.
Concilium Ticinenſe. 310
Valentinum. III. 311
Capitula Herardi Turonenſis. ibid.
Wormatienſe. ibid.
Hincmari Epiſtola Canonica. ibid.
Capitula Gualteri Aurelianenſis. ibid.
Conſtitutiones Riculfi Sueſſionenſis. 312
§. VII. Iterum, ſed erroneè. *Ex Conciliis ſeculorum X. XI. & XII.* ibid.
Epiſtola Synodica Ratherii Veronenſis. 312
S. Eduardi leges eccleſiaſticæ. ibid.
Concilium Remenſe. 313
Pictavienſe. ibid.
Londinenſe. ibid.
Gerundenſe. ibid.
Gerundenſe alterum. ibid.
Londinenſe alterum. 314
Lateranenſe II. generale. ibid.
Turonicum. ibid.
Lateranenſe III. generale. 315
§. VIII. *Ex Conciliis ſeculi XIII.* 316
Concilium Avenionenſe. ibid.
Pariſienſe. 317
Montiſpeſſulani. ibid.
Lateranenſe IV. generale. ibid.
Narbonenſe. ibid.
Caſtri Gonterii. 318
Lugdunenſe I. generale. 319
Albienſe. ibid.
Biterrenſe *comprobans S. Ludovici leges.* ibid.
Conſtitutiones Eccleſiæ Nicoſienſis. 320
Concilium Monſpelienſe. ibid.
Colonienſe. ibid.
Viennenſe in Auſtria. 321
Senonenſe. ibid.
Lugdunenſe II. Generale. 322
Statuta Synodalia Eccleſiæ Conſtantienſis. 323
Concilium Arelatenſe. 324
Colonienſe. ibid.
Pictavienſe. ibid.
Lambethenſe. 325
Avenionenſe. ibid.
Synodus Nemauſenſis *Niſmes.* ibid.
Conſilium Bituricenſe. 326
Herbipolenſe. ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiæ Leodienſis. ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis *Cahors, Rhodez, Tulle.* 327
Statuta Synodalia Eccleſiæ Ultrajectenſis. ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiæ Æduenſis. ibid.
Conſtitutiones Synodales Coventriæ. 328
Vigornienſes, *Worcheſter.* ibid.
Conſtitutiones Synodales Exonienſes. ibid.
Conſtitutiones S. Edmundi. ibid.
Statuta Eccleſiæ Meldenſis. 329
Statuta Eccleſiæ Nannetenſis. ibid.
Statuta Eccleſiæ Æduenſis. ibid.
Duo Concilia incerti loci. 330
Capitulum Generale Cluniacenſe. ibid.

Viſi-

Digitized by Google

Viſitatio Eccleſiæ Bituricenſis. 330
Wilhelmus Abbas Villarienſis. 331
Epiſtola S. de Namurco. 332
Concilium Colonienſe. ibid.
Arelatenſe. 333
Noviomenſe. 334
§. IX. *Ex Conciliis ſeculi* XIV. ibid.
Concilium Toletanæ Provinciæ. ibid.
Nugarolienſe. ibid.
Auſcitanum. ibid.
Trevirenſe. 335
Trevirenſe alterum. ibid.
Concilium Viennenſe *rurſus expenditur, & unà ad objectiones Theologi Brabantini reſpondetur.* ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiæ Æduenſis. 338
Concilium Ravennenſe IV. ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiæ Tutelenſis. 340
Statuta altera ejuſdem Eccleſiæ. ibid.
Concilium Compendienſe. ibid.
Tarragonenſe. ibid.
Statuta Synodalia Eccleſiæ Ruthenenſis. 341
Statuta ſynodalia Eccleſiæ Ultrajectenſis ſub Joanne de Arckel. ibid.
Eadem ſtatuta anni ſequentis. 342
Concilium Vaurenſe, *Lavaur.* 343
Statuta ſynodalia Eccleſiæ Biterrenſis, *Beziers.* ibid.
Manuale Henrici Epiſcopi Siſtaricenſis, *Siſteron.* ibid.
Statuta ſynodalia Eccleſiæ Trecorenſis, *Treguier.* 344
Statuta altera ejuſdem Eccleſiæ. ibid.
Concilium Salzburgenſe. ibid.
§. X. *Ex ſeculo* XV. 345
Concilium Saltzburgenſe. ibid.
Synodus Saltzburgenſis. 346
Statuta Andegavenſia. ibid.
Synodus Friſingenſis. ibid.
Concilium Rothomagenſe. 347
Concilium Avenionenſe. ibid.
Conſtitutiones Eccleſiæ Eboracenſis. ibid.
De Concilio Florentino. 348
De ſententia Græcorum. ibid.
Nicolaus Cabaſilas. n. XVI. 350
§. XI. *Ex Conciliis ſeculi* XVI. 353
Concilium Lateranenſe V. ibid.
Reſpondetur ad cavillationes auctoris Tractatûs brevis. 356
Synodus Senonenſis, *per errorem ponitur* Leonenſis. 360
Concilium Colonienſe. 360
Statuta ſynodalia Eccleſiæ Ultrajectenſis. ibid.
Concilium Mediolanenſe I. ibid.
Mediolanenſe II. 362
Mechlinienſe. ibid.
Conventus Melodunenſis. 363
Concilium Remenſe. ibid.
Burdigalenſe. ibid.
Turonenſe. 365
Bituricenſe. ibid.
Mexicanum. ibid.
Cameracenſe. 368
Toloſanum. ibid.
Avenionenſe. 369
De Concilio Tridentino. ibid.
§. XII. *Ex Conciliis ſeculi* XVII. 371
Synodus Cameracenſis. ibid.
Concilium Mechlinienſe II. ibid.
Narbonenſe. ibid.
Statuta ſynodalia diœceſis Gandavenſis. ibid.
Synodus Oſnabrugenſis. 372
Synodus Mindenſis. 373
Statuta ſynodalia Eccleſiæ Tornacenſis. ibid.
Acta ſub Rovenio. ibid.
De Saſboldo. n. XV. 375

TERTIA PROPOSITIO.

SUMMORUM PONTIFICUM *decretis omnis uſura, ſeu, quod idem eſt, omne ex mutuo lucrum conſtanter reprobatur.* 377
S. Leo, S. Gregorius & Leo IV. 378
Alexander III. ibid.
Urbanus III. 382
Innocentius III. 383
Gregorius IX. *ubi expenditur capitulum* Naviganti. 385
Clemens IV. 390
Gregorius X. 391
S. Cæleſtinus V. ibid.
Bonifacius VIII. 392
Clemens V. ibid.
Martinus V. ibid.
Leo X. 393
Adrianus VI. ibid.
Paulus III. ibid.
Pius V. 394
Sixtus V. 395
Alexander VII. 396
Innocentius XI. ibid.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO QUARTA.

THEOLOGI ET CANONISTÆ *unanimiter uſuram omnem prohibitam eſſe docent.* 397

Petrus Lombardus. ibid.
Guillelmus Pariſienſis. 398
Alexander de Alès. ibid.
Albertus Magnus. 400
S. Bonaventura. 401
S. Thomas. 402
Henricus Gandavenſis 405
Scotus. ibid.
Durandus. 406
S. Bernardinus Senenſis. 407
Dominicus Soto. ibid.
Navarrus. 408
Covarruvias. 410
Fagnanus. 411
Cardinalis de Laurea. ibid.
An Theologi novam circa uſuram doctrinam invexerint? 415
Reſpondetur ad IV. partem Tractatus brevis. 418
De Epiſcopo Caſtorienſi. 420
De Exemplo ab Auctore Tractatûs brevis allato circa immaculatam conceptionem. n. IX. 421
Reſpondetur ad quintam partem Tractatûs brevis. 423
De titulis lucri ceſſantis & damni emergentis quos è Theologia eliminatos cupit. n. IV. 424
Reſpondetur ad Epilogum Tractatus brevis, & ad caſum ibidem ex S. Antonino propoſitum. 426

SECTIO TERTIA.

In qua quid circa mutuum & uſuram JURE CIVILI ET NATURALI *præſcriptum ſit, diſcutitur.* 429

PRIMA PROPOSITIO.

Uſura LEGE CIVILI *nunquam approbata; aliquando permiſſa ſeu tolerata, ſed ut mala; ſæpius repreſſa; interdum reprobata fuit.* 429

§. I. *Quidnam jure civili Romano, circa uſuram præſcriptum fuerit ſtante Republica?* 430
§. II. *Quidnam jure civili Romano circa uſuram præſcriptum fuerit ſub Imperatoribus Ethnicis.* 433
§. III. *Quidnam jure civili Romano circa uſuram, ſub Imperatoribus Chriſtianis præſcriptum fuerit, ante Juſtinianum?* 437
§. IV. *Quidnam jure civili Romano circa uſuram ſub Imperatore Juſtiniano præſcriptum fuerit.* 438
§. V. *Quodnam de his Juſtiniani aliorumque Imperatorum Chriſtianorum circa uſuram legibus judicium ferri debeat.* 441
§. VI. *Quidnam ſub Imperatoribus Baſilio & Leone circa uſuram præſcriptum fuerit?* 443
§. VII. *Conſiderationes quædam ſuper civilibus & eccleſiaſticis de uſura legibus.* 445
§. VIII. *Quid in Occidente ſub Carolo Magno ejuſque ſucceſſoribus circa uſuram præſcriptum fuerit.* 447
§. IX. *Quid in Regno Francorum ſub ſancto Rege Ludovico IX. Philippo Pulchro, aliiſque deinceps Regibus circa uſuram præſcriptum ſit.* 449
§. X. *Reſpondetur objectioni petitæ ex uſura pecuniæ pupillaris, quæ in aliquibus Galliæ provinciis permittitur.* 452
§. XI. *Quid in variis regnis ac provinciis circa uſuram lege civili præſcriptum ſit.* 455

SECUNDA PROPOSITIO.

Uſuram quamlibet, ſive quodlibet ex mutuo lucrum, reprobat lex naturalis. 460

§. I. *Oſtenditur argumentis ab auctoritate ductis uſuram ipſa naturæ lege prohiberi.* 461
§. II. *Quibuſdam ratiociniis evincitur reprobari uſuram quamlibet naturali lege.* 464
Concluſio. 471

Digitized by Google